


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ANNOTATIONES IN IOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ EPISTOLAM CANONICAM, PRÆLECTAM IN SCHOLA TVBINGENSI.

PER IACOBVM BEVRlinum Doctorem & Profeſſorem Theologiæ.

IOHAN. XX.

Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quòd Ieſus eſt Chriſtus, ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.

TVBINGAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VIDVÆ VLRICI MORHARDI.
ANNO M. D. LVII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CHRIſtophero Duci Vuirtenbergenſi & Teckcenſi, Comiti Montis Peligardi &c. Domino ſuo clementiſſimo. In Chriſto Ieſu Salutem.

De te laus mea in Eccleſia magna, uota mea reddã in conſpectu timentium eum. Pſal. xxij. Hac uoce Chriſtus Saluator noſter per Prophetam teſtatur, Illuſtriſsime ac clemẽtiſsime Princeps, ad propagandam ueram Euangelij doctrinam, & ad celebrandum nomen Dei, nec non ad alia Fidei exercitia rite preſtanda, utiles & neceſſarios eſſe, ac

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Deo placere, publicos & hone=
ſtos Eccleſiarum Scholarumq́ cœ
tus. Quam quidem ob rem inter
infinita publicarum calamitatum,
quibus Deus peccata hominum
in hoc mundo punit, incommo=
da, haud ſcio an non ſummum ac
maximum ſit, quod publicæ pœ=
næ, Conuentus illos ac congreſ=
ſus publicos diſsipant atq́ impe=
diunt. Nam ne longè exempla pe=
tantur, cum ante hæc tempora ar=
mis omnia arderent, raros admo=
dum & exiguos cœtus tàm Eccle=
ſiaſticos, quàm Scholaſticos cele=
brari vidimus. Poſtquàm uero
reſtincto nonnihil armorum in=
cendio, paterna hac caſtigatione
nihilo meliores fuiſſemus redditi,
mox immiſſa peſte, magis qui=
dem diuturna quàm ſæua, ſed ob
id

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

id publicis illis cõgreſſibus maxi-
mè incommoda, pater cœleſtis ad
officium faciendum nos reuocare
ac perpellere uoluit. Atq; vtinam
uera pœnitentia & conuerſione
ad Deum, cauere ſtuderemus, ne,
quod Deus grauiſsime conque=
ritur, de populo Iudaico, qui pla=
gis non melior, ſed multò ſubin=
de deterior reddebatur, idem de
nobis iure dici poſſet Eſa. 1. Ad
quid percutiam uos ultra, adden=
tes præuaricationem? Quare cum
& apud nos ſuperioribus annis,
ut meritum noſtrorum peccato=
rum ferebat, peſtis ingrueret, At=
que hæc V. Celſitud. Academia,
quæ vt nunc, ita tum quoq; ma=
xima ſtudioſorum frequentia flo=
rebat, pleriſq;, ita vt fit, dilabenti=
bus indies minueretur. V. C. pro

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſingulari ſuo fauore, quo uerè piȩ doctrinæ, ac bonarum literarum, omniumq; honeſtarum artium ſtudia proſequitur, colit & promouet, ne magno cum Eccleſiæ ac Reipublicæ detrimento ſtudia omnino intermitterentur, quæ poſt multorum diſceſſum ſupererãt, Scholȩ reliquias colligendas, atq; Caluuæ, in oppidulo non inamæno conſeruandas eſſe cenſuit. Quem quidem in locum cum me quoq; V. Celſitud. uoluntate inter primos cõtuliſſem, ut Adoleſcentes in pietatis doctrina inſtituerem, finito Iohannis Euangelio, ipſius etiam Epiſtolam Canonicam explicandam ſuſcepi, eò quod utiliſsima quidẽ cognitu, ſed intellectu non ita facilis eſſet, et quod ad eius intelligentiam faciliorem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

faciliorem, non parum allaturum uideretur, quod peculiari Iohannis phraſi adoleſcentes iam eſſent aſſueti. Cumq́ autore Hieronimo, duo ſint præcipua Scripturas interpretãdi genera, Quorum alterum mentẽ Prophetę uel Apoſtoli ingreditur, et in genuino ſenſu autoris exquirẽdo occupatur, Alterum in tractãdis communib. locis uerſatur. Hoc popularibus cõcionibus eſt aptius: Illud ſcholaſticis cœtibus magis conuenit. In hoc, quod neceſſe eſt, idem nõnunquam ſatis eſt, interpretationem analogam eſſe fidei: In illo, nunquam quidem ab analogia fidei deflectendum, ſed & in eruendo proprio ſenſu autoris laborandum, & ad mentem eius quam proxime accedendum eſt. Quod

interpretationis genus potiſsimum ſecutus ſum in enarranda hac Epiſtola. ac uitaui quidem in locos cõmunes digreſsiones longiores, tamen quantum opus erat ad confirmandã meam de mẽte Apoſtoli ſententiam, eos etiam attigi, ut ſtudioſis hic nõ deeſſent tractãdorum communium locorum ſemina. Hanc meam operã auditoribus probari equidem gaudebam: ſed priusquam ad lectionem accederem, quæ memoriæ cauſa breuiter ruditerq; annotaueram, ut in lucem ederem, quantumuis & Caluuæ & poſt fœlicẽ reditum, nobis clementer à Deo conceſſum, hic quidam uehementer inſtarent, hactenus perſuaderi non potui. Neq; n. ea ego tanti æſtimo, ut a doctis legantur. Ac

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

uerebar etiã, ne ipſi auditores minus eſſent probaturi, nudas annotationes ſcriptas, quàm cum eas inter prælegendum, maiore rerum & uerborum copia, me proferentem audierant. Tum autem aurem mihi perſonabat, hoc Ciceronis. Mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſsit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis otio & literis. Hac certè reprehenſione, nullo modo me cariturum proſpiciebam, ſi auditoribus meis obſecutus fuiſſem. Sed fuit tandẽ ab ipſis expugnata mea facilitas, qua uel maiore meo, quàm repræhenſionis alicuius incommodo, gratificandum eis eſſe duxi. Quorum quidem in nume-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ro, prȩter Stipendiarios Martini-
anos, ac nonnullos alios, ſunt etiã
multi honeſti & ingenioſi adole-
ſcentes, quos V.C. ſumptibus nõ
mediocribus, ad Eccleſiæ Chriſti
miniſterium aliquando ſubeun-
dum, in uerè pia doctrina non ſi-
ne magna laude erudiẽdos curat.
Laudabile etenim fuit inſtitutum
potentiſsimi Babiloniæ Regis,
qui Danielem cum ſocijs, ac cum
multis alijs bonȩ indolis ac ſpei a-
doleſcentib. in literis & omni ſa-
pientia inſtituẽdos, et vt commo-
dius inſtitui poſſent, uictui neceſ-
ſaria subminiſtrãda prȩcepit: quo
toti deinceps Reipublicæ maiori
uſui eſſent. ſicut non alios etiam
poſtea toti regno Babilonico ma-
gis profuiſſe Hiſtoria ſacra oſten-
dit. Quanto autem maiorem lau-
dem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

dẽ in pio ac uere Chriſtiano prin=
cipe meretur, ſi non ſolam optime
Rempublicam ordinet atq; con=
ſtituat, ſed à pleriſq; deſertam ac
contemptam Dei Eccleſiam, quã
Filius Dei Ieſus Chriſtus ſangui=
ne ſuo redemit, tã charam, tamq;
ſibi commendatam habeat, ut hoc
dies noctesq; cogitet, conſultet,
& agat, vt iuuentus in ſacris lite=
ris erudiatur: ne unquam ad ſalu=
tarem Euangelij Chriſti doctrinã
tradendam, deſiderentur idonei
Eccleſiæ miniſtri. Qua quidem in
re ueſtræ Celſitudini neminẽ no=
ſtrum ſua opera & diligentia de=
eſſe, ſed V. C. ſemper et ubiq; lo=
corum, pro ſua virili vnumquẽq;
noſtrum adiuuare decet. Quare et
anno ſuperiore, in exilio Caluuẽ=
ſi, deſidioſo otio nos deditos nõ
fuiſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

fuiſſe, quo veſtræ C. documentum aliquod præberem, haſce in D. Iohannis Epiſtolam Canonicã annotationes, V. C. offerre volui. quas non eruditionis & doctrinæ, quæ in me eſt perexigua, ſed fidei ac diligentiæ cõmendatione ac ſignificatione aliqua V. C. non ingratos fore ſpero atq; confido: & ut in eam partem accipiat, V. C. humilime etiam rogo. Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Spiritu ſuo ſancto V. C. regat atq; gubernet, eamq; Eccleſiæ ac Reipublicæ diu incolumen tueatur & conſeruet, per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, Amen. Datum Tubingæ xiiij. Mar. Anno M. D. LVII.

V. C. obſequentiß.

Iacobus Beurlin D.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

DE AVTORE ET AR-gumento Epiſtolæ.

PRæter Euangelium, quod ſecundum Iohan. inſcribitur, tres Epiſtolæ & Apocalipſis ſub nomine Iohannis extant. De Euangelio, & de prima Epiſtola, propter eundem ſermonis caracterem, qui in Euangelio attenditur, nunquam dubitatum eſt, quin autor eorum fuerit Iohannes Apoſtolus: reliquæ uero duæ Epiſtolæ & Apocalipſis, cum certus earum autor ignoraretur, ne autoris cõmendatione omnino carerent, propter quandam uerborum & rerũ, à Iohannis dictione & doctrina non abhorrentium ſimilitudinem, eas Veteres, Iohannis Apoſtoli & Euangeliſtæ non uulgaris autoris nomine, nobis commendatas eſſe uoluerunt: ut ſumma tamen atq; Apoſtolica autoritas, Euangelio & primæ ipſius Epiſtolæ, quam poſt Euangeliũ iam explicabimus, remaneat.

Iohannes autem, quæ in hac Epiſtola continentur, ea ſe nobis ſcribere dicit, ut, quod uox Euangelij ſonat, gaudium noſtrum ſit plenum.

Plenum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Plenum autem & perfectū gaudium in ueræ & æternæ beatitudinis perfruitione conſiſtit, quæ ſolis amicis Dei contingit. amicos Dei conſtituit, illa hominum cum Deo conformitas, qua ſicut Deus eſt in luce, ita ipſi quoq; in luce uerſantur. hæc autē eſt diuinæ luci conformis hominum conuerſatio, qua in ueræ fidei lumine, et non ſimulatæ dilectionis operibus ambulant, hi ſunt duo præcipui Chriſtianæ doctrinæ loci, quos ſicut D. Paulus in ſuis Epiſtolis, ita eos per totam hanc quoq; Epiſtolam tractat D. Iohannes. Nam quomodo fides et dilectio parētur, augeantur, declarentur, retineantur, quæq; cōmoda per hæc homines conſequantur, in iis oſtendendis atq; explicandis Iohannes totus in hac Epiſtola occupatur.

Sed in his duobus locis tractandis, alium ordinem ſecutus eſt, quàm quem à D. Paulo in ſuis Epiſtolis obſeruatum eſſe uidemus. Nam D. Paulus primùm de fide, quantum in qualibet ſuarum Epiſtolarum opus eſſe cenſet, diſputat. Deinde alteram & poſteriorem partem Epiſtolæ, doctrinæ bonorum operum reſeruat, ut bonorum operum doctrinam non quidem prætermittendam in prædicatione

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Euangelij, neq; tamen fidei doctrinæ commiſcendam, neq; ei præponendam, ſed poſtponendam eſſe doceat. Iohannes aūt has duas Chriſtianæ doctrinæ partes, fidem & dilectionem, non quidem confundit, non tamen peculiarem cuiq; locum in hac Epiſtola ita attribuit, ut ſicut de Paulinis epiſtolis, ita de hac etiā dicere liceat: Iohannem in priore parte Epiſtolæ agere de fide, in poſteriore de operibus dilectionis. Sed Iohannes ſeparatim quidem & diſtinctè, ſed ſimul utriusq; & fidei & dilectionis doctrinam ita tradit, ut ordiatur à fide, mox ad dilectionem ſe conferat, inde redeat ad fidem, hinc rurſus ad charitatem transmigret, ſicq; ſubinde ad alterutrā alternatim tranſeundo ac reuertendo, perpetua uiciſſitudine usq; ad finē Epiſtolæ utitur. Hunc ordinem à Iohan. in docendo ſeruatū, nos uiuendo ſequamur, nec ſtudio fidei à dilectione impediamur, nec ita uacemus dilectionis operibus, ut ad fidem non reuertamur, ſed utranq; ſimul, fidem & dilectionem colamus atq; ſectemur.

Cæterum hoc Iohannis ſcriptū, Declamationi ſimilius eſt, quàm Epiſtolæ: neq; enim nomen eorū ad quos ſcribitur, neq; ſalutationem,

neq;

neq; reliqua habet, quæ communiter Epiſtolarum partes numerantur. ſciamus igitur non ad certos aliquos & paucos homines ſed ad nos omnes & ad ſingulos hanc Epiſtolam pertinere, cum nulli nominatim eã adſcripſerit. At ſalutationem ſolennem ideo omiſit, quia ſicut Euangelium non eſt aliud, quàm lætũ ſalutis nuncium, ita tota hæc Epiſtola, eſt Euangelica ſalutatio, qua ſalus & uita æterna nobis in Chriſto annunciatur. Intrat igitur Apoſtolus in domũ noſtram, ac iuxta Chriſti præceptũ nos ſalutat, Eo igitur modo, quo decet, nos ſalutantem audiamus atq; excipiamus, ne pax à nobis ad Apoſtolum reuertatur, ſed ut ſuper nos ueniat, conquieſcat, & in æternum nobiſcum permaneat. quod quidem fiet, ſi quæ de fide & dilectione Apoſtolus traditurus eſt, diligenter cognoſcere, ac reipſa etiam præſtare ſtudebimus

CAPVT I.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

CAPVT I.

QVod erat ab initio. quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ cõtrectauerunt de ſermone vitæ. Et vita manifeſtata eſt, & vidimus. Et teſtamur & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud Patrem, et manifeſtata eſt nobis.

HIs uerbis Exordium huius Epiſtolæ continetur, in quo Apoſtolus uſitato Exordientium more, initio Lectorem præparat, ipſumq́; ad Apoſtolicam de filio Dei Ieſu Chriſto doctrinam, quam in hoc ſcripto eſt traditurus, attentius audiendã, ſtudioſiusq́; perdiſcendam excitat. Continet enim hoc Exordium, eximiam Apoſtolicæ doctrinæ commendationem, qua non iniuria omnes moueantur, ut ſeſe huius Epiſtolæ ſtudio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſiſsimos Lectores auditoresq́; præbeant. Nã licet multa præterea ſint, & uaria argumenta, quibus inter ſeſe omnia doctrinarum genera conferri, & quænam alijs præſtantiora ſint dijudicari ſoleant: Ab his tamen tribus potiſſimum rationibus, cuiuslibet doctrinæ excellentiæ iudicium ſumitur. Primum à dignitate & præſtantia rei ſubiectæ, circa quam tractandam quodlibet genus doctrinæ uerſatur. Deinde à Demonſtrationum ac probationum certitudine & euidentia. Tertio ab utilitatis & fructuum, qui inde percipiuntur, amplitudine. His autem tribus inſignioribus excellentiæ notis, doctrinam Apoſtolicam, omni generi doctrinarũ immenſo interuallo præcellere, D. Iohannes in hoc Exordio breuiter quidem, ſed non obſcure ſignificat. Vt hac eximia commendatione admoniti atq; permoti, maiore diligentia & aſsiduitate omnes pariter in huius doctrinæ ſtudium incumbant, atq; eius pernoſcendæ cauſa, hanc Epiſtolam copioſa breuitate ſatis prolixam, diligentiſsime perlegant atq; euoluant.

Quod erat ab initio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

AC primum quidem dignitatem materiæ, circa quam tractandam uerſatur doctrina Apoſtolica, hiſce primis Epiſtolæ uerbis indicat. Quod erat ab initio. De Chriſto Ieſu unigenito & æterno filio Dei, domino & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, uero Deo & homine Apoſtolus loquitur. quem mox uerbũ uitæ, adeoq; uitam æternam appellat. De Chriſto autem Domino & ſaluatore noſtro, uerba facturus Apoſtolus, ſicut in conſcribenda hiſtoria Euangelica initium narrationis facit, à diuina & æterna Chriſti ſaluatoris noſtri natura, dicens. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum: Ita hoc loco Apoſtolicæ doctrinæ commendationem, ab eodem principio repetit, dum ſe nobis annunciare dicit, quod erat ab initio. Nam haud dubie, quemadmodum in hiſtoria Euangelica inchoanda, ad principium orbis conditi, ita in auſpicanda hac Epiſtola, reſpexit ad principium ſui Euangelij. In quo inter cætera & à rerum omnium creatione, proprio diuinitatis opere, Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri æternam diuinitatem, dilucidè admodum probat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Si enim, ut in eo loco ait. In principio, quo Moſes Propheta Dei, creaturas omnes ex nihilo cœpiſſe ſcribit, iam tum erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, ac proinde uerbum non erat ipſe Pater, ſed ab ipſo, utpote apud quem erat, diſtincta perſona: neceſſario ſequitur, quod iſtic etiam infertur. Et Deus erat illud uerbum: nihil enim, & in principio eſſe, & apud Deum eſſe potuit, quod idem natura Deus non eſſet. At iam tum cum res à Deo initio conderentur, λογος apud Deum fuiſſe, ab opere diuini uerbi Apoſtolus declarat. Omnia, inquit, per ipſum facta ſunt, & ſibi uſitata aſſeuerationis formula, per Antitheſin ſubiungit. Et ſine eo factum eſt nihil, quod factum eſt. quare iis quæ facta ſunt, uerbum annumerari non poteſt, quod ut omnia conderentur, iam antea extare, ac proinde uerum & æternum Deum eſſe oportuit. Quod igitur Apoſtolus ad hunc modum aliquanto copioſius initio Euangelij ſui egerat, id tanquam ſatis ſuperiore ſermone explicatum, pauciſſimis hiſce uerbis, Quod erat ab initio, quibus Chriſti diuinitas aſtruitur, in memoriam Lectori reuocat, & ad commendandam ſuam doctrinam, hîc rurſus

aſſumit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

aſſumit. Nam quod erat ab initio, initium nõ habuiſſe, ſed ea omnia, quæ initium habuerunt, æternitatis interuallo præceſſiſſe, ac conſequenter uerum & æternum Deum eſſe, nemo negabit. Cum igitur Apoſtolica doctrina ſit teſtimonium de eo, quod erat ab initio, hoc eſt, de Dei unigenito filio, cum Patre & Spiritu ſancto, uno, uero, & æterno Deo, rerum omnium conditore: inde facilimum fuerit, æſtimare Apoſtolicæ doctrinæ dignitatẽ, qua tanta reliquis omnibus doctrinarum generibus præſtare ſtatuendum eſt, quanta dignitatis præſtantia Dei unigenitus & æternus filius, cœlo & terræ, reliquisq; omnibus creaturis antecellit. Incomparabili autem præſtantiæ, & antiquitatis diſcrimine, unigenitus & æternus Dei filius, omnibus creaturis procul dubio præſtat. Infinita enim Dei creatoris & creaturæ, æternitatis & temporis diſtantia, omnem comparationis collationem excludit. Eodem igitur, infinito uidelicet, & immenſo dignitatis interuallo, Doctrina Apoſtolica, qua unigeniti et æterni filij Dei uera & ſalutaris notitia traditur paraturq;, anteferenda eſt quibuslibet alijs doctrinarum generibus, quæ

in naturæ rerum explicatione uerſantur, quas Deus per filium coæternum ex nihilo ſimul cũ tempore condidit. Harum autem rerum ſcientia excellere, quoniam honeſtum & pulchrum eſſe ducimus, earum quoq; diſciplinas nobis diligenter & aßiduè colendas eſſe putamus. Quanto igitur iuſtius ac laudabilius fuerit, ad cognitionem unigeniti & æterni filij Dei, omnium conditoris, parandam doctrinam Apoſtolicam non negligere, cuius dignitatis non obſcura ſignificatione, eius excolendæ ſtudium accendere Euangeliſta uoluit. Id quo facilius conſequeretur, hoc alterum, de indubitata Apoſtolicæ doctrinæ certitudine, ſubiungit,

Quod audiuimus, quod uidimus oculis noſtris &c.

Hinc enim non minor Apoſtolicæ doctrinæ certitudo colligitur, quàm ipſius dignitatem eſſe prius monuit. Nam de ſermone

uitæ

uitæ, non dubia & incerta, ſed quæ fermè omnium ſenſuum experimento explorata, ac planè comperta habeat, ea ſe nobis annunciare Apoſtolus affirmat. Quod ita dici non iniuria quiſpiam fortaſſe miretur. Aut enim per ſenſus illos exteriores, quos hoc loco Apoſtolus recenſet, nulla omnino de uerbo uitæ cognitio haberi poſſe uidetur: Aut ſi qua haberi poteſt, pleriſq; omnibus Philoſophicis ſcientijs, certitudinis laude multò inferior eſſe reperietur. Neq; enim rationi conſentaneum eſt, quô hominis mens, quæ oculis multo acutius cernit, pertingere nequit, eò ſenſus illos hebetiores penetrare poſſe. Sermo autem uitæ, ſiue uita æterna, ſicut poſtea dicet, erat apud Patrem, qui, teſte D. Paulo, lucem ob immenſam claritatem, hominis menti etiam perſpicaciſsime inacceſſam inhabitat. Multo igitur minus ad cognoſcendum ſermonem uitæ, patebit aditus ad Patrem, ſenſibus iſtis craſsioribus, uiſui, auditui, tactui, quibus Apoſtolus cognitionem ſermonis uitæ ſe adeptum eſſe fatetur. Contra hanc uero rationem, ſi Apoſtolo affirmanti, externorũ ſenſuũ perceptione

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

cognitionem ſermonis uitæ conſtare aſſentiendum eſt, ex eo hoc etiam poſterius, nempe Philoſophicis ſcientijs, cognitionem ſermonis uitæ longè incertiorem eſſe concedendum uidetur. Multo enim certiorem eſſe & accuratiorem mentis, quàm ſenſuum perceptionem, multoq; obſcurius ac fallacius iudicium ſenſuũ quàm intellectus, præter experientiam, hæc ſapientiſſimorum hominum ſententia etiam confirmat, qua in rebus exactè cognoſcendis iubemur, mentem ſeuocare à ſenſibus, & à conſuetudine cogitationem abducere. Ne quid igitur autoritati Apoſtoli, & ipſius doctrinæ certitudini decedat, utrumq; conſtanter aſſerendum eſt, & Apoſtolum ſenſibus exterioribus in ſermonis uitæ cognitionem perueniſſe, & eam nihilominus certitudinis laude nulli aliarum ſcientiarum cedere. Quanquam enim fatendum ſit, nequaquam eam eſſe humanæ mentis perſpicatiam, nedum oculorum ac reliquorum ſenſuum acrimoniam, qua ſola quiſpiam certam ſermonis uitæ cognitionem aſſequi poßit. Hanc enim omnem humanæ mentis captũ excedere, indicio ſunt ſummi et ingenioſißimi Philoſophi, qui licet in diuinarũ humanarumq; rerũ ſtudio,

omnem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

omnem ætatem conſumſerint, tamen ad ſermonis uitæ cognitionem non peruenerunt. Et ob id alibi eam D. Paulus uocat ſapientiam in Myſterio abſconditam. Quod minime etiam Euangeliſtam Iohannem fugiebat. nec tamen ſcribere dubitauit, quod oculis uiderit, quod auribus audierit, quod manibus contrectarit de ſermone uitæ, ſe nobis annunciare. Cumq; hoc omnibus uerißimum uideri cuperet, nec quid cõtrà obijci poſſet ignoraret, ei obiectioni, ipſe etiam breuiter his uerbis occurrit.

Et uita manifeſtata eſt nobis, & vidimus.

Quod idem mox repetendum eſſe duxit, dicens.

Et uita erat apud Patrem, & manifeſtata eſt nobis.

SEcum enim cogitantibus, ac quærentibus: quî tandem ſermonis uitæ notitiam ſenſibus iſtis exterioribus Apoſtolus ſe conſecutum eſſe dicat? Reſpondet, uitam apud Patrem antea abſconditam, tum demum ſe uidiſſe, audiuiſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

uiſſe & contrectaſſe, cum diuinæ patefactionis beneficio, ita manifeſtata ac reuelata fuiſſet, ut auribus audiri, oculis uideri, & manibus tangi potuerit: ac niſi ad eum modum manifeſtata fuiſſet, ad ſalutarem & uiuificam eius cognitionem, nemo mortalium, ſuis uel animæ uel corporis uiribus, fuerat peruenturus, ſed ignoratione uitæ, omnibus moriendum ac pereundum fuiſſet. Deus igitur clementiſsimus pater cœleſtis, cum nos perire nollet, miſertus eſt noſtri, ac filium ſuũ unigenitum, ueram & æternam uitam, nobis reuelauit. Et eam Reuelationem, non magis ad eruditorum ac ſapientum, quàm ad rudiorũ & imperitorum captum attemperauit, dum non tam ad ſubtiliorem mentis, quàm ad craſsiorem ſenſuum perceptionem accommodatam eſſe uoluit: idq; eam ob cauſam maxime, ut cum hominum plurimi illiterati, & minus in philoſophiæ ſtudio exercitati, ſubtiliter ratiocinandi facultate deſtituantur, nemini quantumlibet indocto & imperito, qui modo auribus non careret, humiliter obedienterq; credendi diuinæ patefactioni, & per fidem uitam æternam conſequendi, poteſtas deeſſet. Quemadmodum

alibi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

alibi ſcribitur. Fides ex auditu eſt. Et, Qui habet aures, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs. Non eſt igitur, cur quiſpiam miretur, Apoſtolum ſcribere, quod uiderit, audierit, & manibus attrectarit de ſermone uitæ, id ſe nobis annunciare. propterea quòd uitam æternam, ut uideri, audiri, & manibus palpari poſſet, diuinitus manifeſtatam fuiſſe, per occupationem addiderit.

Hac manifeſtatione ac patefactione diuina, certitudo etiam doctrinæ fidei æſtimanda uenit. Neq; enim apoſtolicæ doctrinæ certitudo, noſtræ perceptionis ſubtilitate, ſed ſola diuinæ reuelationis ueritate nititur. Hic enim non ſunt requirendæ philoſophicæ certitudinis cauſæ, quæ numerantur, uniuerſalis experientia, nobiſcum nata principia, & ex his collectæ demonſtrationes: multo minus autem hic locum habent, ordinaria ſucceßio Epiſcoporum, multitudinis conſenſus, longæ conſuetudinis uſurpatio, Traditiones Maiorum, & id genus aliæ à Pontificijs, ad obruendam ueritatis doctrinam, confictæ certitudinis cauſæ, quæ multis

partibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*partibus leuiores & incertiores ſunt, quàm
certitudinis cauſæ Philoſophicæ. Verum hiſ-
ce omnibus poſthabitis, & à fidei doctrina alie-
nis, Iohannes unicam hoc loco ſuæ, hoc eſt, A-
poſtolicæ doctrinæ certitudinis cauſam aſsig-
nat, reuelationem diuinam. Et hanc longè
omnium certiſsimã ac firmiſsimã eſſe, & Dei
reuelantis conſtans & æterna ueritas conuin-
cit, & hominum piorum diuinæ reuelationi fir-
miter aſſentientium fides declarat. Eſt enim
certiſsima diuinæ reuelationi innitens perſua-
ſio, qua præter ſpem, in ſpẽ creditur. Sicut de
omniũ credentium patre Abrahamo Pau. loqui
tur. Abrahamo enim in tanta ſua, & Saræ cõ
iugis ſuæ ætate, quã ſpem faciebant ſobolis, ſiue
philoſophicæ, ſiue põtificiæ certitudinis cauſæ?
Nullam omnino. imò uero de poſteritate ip-
ſum prorſus deſperare iubebant. Erat enim
inauditum, & ordini naturæ contrarium, ut
anus nonagenaria pareret filium, ut rei ab-
ſurditas Saræ etiam riſum mouiſſe uideatur.
Præter hanc igitur ſpem, quam omnem ei na-
turæ poſsibilitas adimebat, in ſpem, quam ei
diuina promiſsio fecerat, credidit ſe patrem fo-
re multarum gentium, Iuxta id, quod dictum*

eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

eſt. Sic erit ſemen tuum. Sed qui fit, quod tantum diuinæ promißioni ac reuelationi tribuerit, ut ei poſtponeret curſum naturæ & communis ſenſus iudicium? Quia huic longè præponebat Dei promittentis ueritatem & omnipotentiam, qua præter communem curſum naturæ, & omnem humanæ mentis cogitationem, Deum nihil non efficere poſſe confidebat. Ad promißionem Dei enim non hæſitabat ob incredulitatem, ait Apoſtolus, ſed robuſtus factus eſt fide, tribuens gloriam Deo, certa perſuaſione concepta, quod is, qui promiſerat, idem potens eſſet & præſtare. Eodem modo iudicandum eſt, de omnibus articulis Chriſtianæ fidei, qui doctrina Prophetica & Apoſtolica explicantur, quorum omnis certitudo conſiſtit, in patefactione diuina. Ad hanc igitur Iohannes nos reuocat, ut ea Apoſtolicæ doctrinæ certitudinem metiamur, hocq; nomine commendatiorem habeamus.

Cæterum cum uitam manifeſtatam eſſe hic ſcribit, non de quolibet modo, aut de qualibet patefactionis parte, intelligi debet. Nam inde uſq; ab ultimo conditionis rerum principio Deus filium ſuum multifariam multisq; modis

reuelauit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

reuelauit, ſic enim primùm Moſes narrationem hiſtoriæ creationis inſtituit, ut in una diuinitatis eſſentia, tres diſtinctas perſonas eſſe, facile intelligatur. Ita ut Ioannes Filij Dei appellationem, qua ipſum ſermonem uitæ uocat, mutuatus ſit à Moſe, qui Deum dicendo, hoc eſt, per uerbum omnia creaſſe docet. Statim deinde poſt lapſum hominis, ædita promiſſione gratiæ, eaq́; ſubinde renouata, ſacramentis item additis, propheticis prædictionibus oblationibusq́;, uarijs cæremoniarum umbris, ſubinde clarius manifeſtauit, donec tandem filius Dei humanam ex uirgine Maria naturam aſſumeret, ſicq́; eum oculis conſpiciendū, auribus audiendum, et manibus palpandum Deus exhiberet. De hac præcipua ac potiſſima parte manifeſtationis filij Dei, hoc eſt, de ipſius incarnatione & uitæ conſuetudine, quam in his terris cum Chriſto Apoſtoli egerunt, accipiendum eſt, quod dicit, Et uita manifeſtata eſt, & uidimus. De ea enim manifeſtatione etiam hîc loquitur, cuius antea mentionem in Euangelio ſuo fecerat, dicens, Et uerbū caro factum eſt, & habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius, gloriā quaſi unigeniti à patre, plenū

gratiæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*gratia & ueritate. Quanq; enim diuinitas ipſa
ab illis, cum quibus Chriſtus familiariter con-
uerſatus eſt, oculis uideri non potuerit, eã ta-
mẽ ſub ſeruili forma humanæ naturæ, Chriſtus
non eſt paſſus ignotã latere, ſed eius maieſtatẽ
et gloriã exeruit, atq; ijs indicijs ob oculos om-
nibus ſtatuit, quibus Apoſt. Paul. Roma. 1.
Chriſtũ filium Dei declaratum eſſe oſtendit.
Quibus uero ſuam diuinitatẽ Chriſtus proba-
uit, eorum omnium dictorum factorumq; ſuorũ
et inſpectores eſſent, Apoſtolos delegit, quorũ
occulato atq; indubitato teſtimonio, q̃ de Chri-
ſto ad ſalutẽ cognitu ſunt neceſſaria, poſtea om-
nibus in toto orbe hominibus innoteſcerent. Io-
an. 15. Vos teſtes mei eſtis, qui ab initio mecũ e-
ſtis. Quamobrem, cũ alius eſſet in Apoſtolatus
munere, ſecundum ſcripturas, ſurrogandus Iu-
dæ proditori, non quemuis obuium, in numerum
Apoſtolorum adſciſcendum Petrus cenſuit,
Sed oportet, inquit, ut ex his Viris, qui nobiſ-
cum uerſati ſunt toto tempore, quo Dominus
Ieſus perpetuam uitæ conſuetudinem egit no-
biſcum, exorſus à Baptiſmo Ioannis, ad e-
um uſque diem, quo receptus eſt à nobis, u-
nus quiſpiam conſtituatur, qui ſit unà*

nobiſcum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

nobiſcum Teſtis Reſurrectionis eius. Hinc Chriſtus Iohan. 17. ſanctißimis illis precibus, quas in ultima cœna dixit, Apoſtolorum doctrinam, fundamentum Cariſtianæ fidei conſecrauit. Quo conſiderato, Lucas, qui Chriſtum in carne non uiderat, omnem Euangelicæ ſuæ hiſtoriæ certitudinem collocat, in teſtimonio eorum, qui αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, *hoc eſt, ſpectatores ac quodammodo actores interfuerant, ijs omnibus, quæ de Chriſto Lucas memoriæ prodidit. Ex quorum numero, cum Iohannem etiam eſſe audiamus, nihil de certitudine ipſius doctrinæ dubitemus. Cum qua, ſi qui pugnantia, Apoſtolicarũ traditionum titulo, Eccleſiæ Dei credenda obtrudant, falſi Teſtes, Sin aliquid ſiue addendo, ſiue demendo, aut alio quouis modo deprauando, Apoſtolica ſcripta immutant, Falſarij Teſtimonij Apoſtolici, ac proinde utrobiq; impoſtores eſſe deprehenduntur. Qui nobis cauendi ſunt ac fugiendi. Retinenda autem doctrina Apoſtolorum, qui ſicut Iohannes dicit, certa & comperta de Chriſto, ſermone uitæ, referunt, ut per ueram ſermonis uitæ cognitionem & fidem, uitam conſequamur æternam.*

Hunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Hunc enim fructum ex Apoſtolica doctrina percepturos nos eſſe obiter innuit, cùm Chriſto filio Dei, ſermonis uitæ, & uitæ æternæ appellationem tribuit, Eamq; ſuo teſtimonio ſe nobis annunciare ſcribit. Nam paulò poſt, quid utilitatis nobis Apoſtolica doctrina afferat, dilucidius ac copioſius per totam Epiſtolam exponet. Sermonis autem uitæ appellatione, aliâs filius Dei autor uitæ, aliâs ipſius Euangelium, organum ſalutis & uitæ ſignificatur. Priorem acceptionem præſenti loco magis quadrare ex eo liquet, quòd de eo ſermone uitæ ſermo hic habeatur, qui fuerit ab initio, quem non ſolum auribus audierint, ſed & uiderint oculis & manibus contrectarint, qui eſt Chriſtus ſaluator noſter. Quanquam autem multa ſint præclara nomina, & inſignes tituli filij Dei, quibus ſecundum multiplicem uarietatem beneficiorum ſuorum in ſcriptura ornatur, præ cæteris tamen omnibus, ſicut Chriſtus ipſe, ita & Ioannes delectatus fuit appellatione uitæ. Nam Chriſtus cum innumeris alijs locis ſe aquam & panem uitæ uocat, ſeq; uitam credentibus daturum pollicetur, tum Iohannis 14. diſertè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

dicit: Ego ſum uia, ueritas & uita. Via eſt qua itur, Veritas qua eundo non aberratur, Vita ad quam non aberrando peruenitur. Ad eundem modum Iohannes Euangelij ſui cap. 1. ait. In ipſo uita erat. Hic uerò ſermonem uitæ, adeoq; ipſam uitam æternam, Chriſtum ideo appellat, quòd hæc appellatio reliquas in ſe omnes ita contineat, ut per eas explicetur, & noſtri à morte liberationi per Chriſtum perficiendæ, aptius reſpondeat. Quare enim Chriſtus ſolus eſt uita noſtra? Quia eſt lux noſtra, Quia ipſe factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Ipſe eſt pax noſtra, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Ac ſi qui forte minus ſuas tenebras uident, ſuam ſtultitiam intelligunt, ſuam impietatem & iniuſtitiam agnoſcunt, quàm ut lucem, ſapientiam propitiationem & iuſtitiam Chriſti ſitiant atq; eſuriant. Illi mortem tamen omnes ſentiunt, metuunt, ſeq; ab ea liberatos cupiunt, ideo hic uitæ potiſſimum appellatione, Chriſtum, & de Chriſto ſermone uitæ teſtificantem doctrinam Apoſtolicam omnibus cõmendatiorem reddere uoluit. Sicut ſcribendi Euangelij conſilij ſui rationem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tionem hanc etiam fuiſſe indicat. Hæc autem ſcripta ſunt, ait, ut credatis quòd Ieſus eſt Chriſtus ille filius Dei, & credentes habeatis uitam, per nomen eius. De unigenito igitur et æterno filio Dei, unico redemptore noſtro, & autore uitæ æternæ, cùm ea ſit Apoſtolicæ doctrinæ certitudo, ut nihil certius cogitari poſsit, qui in re maximi momenti, & cõcernenti uitam æternam, minimè labi, errare, decipi uolumus, quod omnes uelle debemus, Apoſtolicã doctrinam, ultrò nobis oblatam, obuijs ulnis excipiamus, ac toto pectore complectamur: id enim facere ne dubitaremus, hæc de dignitete, de certitudine, & de utilitate ſuæ doctrinæ, Apoſtolus paucis præfari uoluit.

Ac quod ad rationem utilitatis attinet, his uerbis. Etiã teſtamur, & annunciamus uobis uitam æternam, exordio ſimul etiam generalem propoſitionem intertexuit. Nam quod in argumenti expoſitione meminimus, idem eſt ſcopus huius Epiſtolæ, qui eſt ipſius etiam Euangelij, ac totius Apoſtolicæ doctrinæ, ut uidelicet per filium Dei recuperemus uitã æternã,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

quam per eundem in prima conditione acceptam, noſtra poſtea culpa amiſeramus. Cuius propoſitionis rationem ſequentibus uerbis ſubijcit.

QVod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, vt & uos ſocietatem habeatis nobiſcum: & ſocietas noſtra, ſit cum patre, & filio eius Ieſu Chriſto. Et hæc ſcribimus uobis, vt gaudium ueſtrum ſit plenum. Et hęc eſt promiſsio, quam audiuimus ex ipſo: & annunciamus uobis, quod Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ: ſi dixerimus quod ſocietatem habeamus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Quod ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus inter nos mutuam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

R*ationem coherentiæ, quæ in uerbis ideo obſcurior apparet, quòd Apoſtolus more Hebræorum, coniunctiones uel omnino prætermittit, uel copulatiuas frequenter pro rationalibus uſurpat, ex rerũ perſpicuitate petamus oportet. Sunt autem res quatuor numero, quas Apoſtolus hoc loci in utilitate Apoſtolicæ doctrinæ explicanda recenſet. Vita æterna, ſocietas cum Deo, plenum gaudium, & conuerſatio in luce, quæ in ratione noſtræ ſalutis ſimul omnes neceſſariò concurrunt. Has enim peccato & iniuſtitiæ, iræ & indignationi Dei, æternæ morti & condemnationi, & quæ ex horum cogitatione ac ſenſu naſcitur, perpetuæ anxietati & triſtitiæ damnatorum opponit. Primũ enim homo tranſgreßione Legis peccauit: per peccatum, iram & indignationem Dei incurrit, Deus iratus & inimicus homini, uitam ei ademit, mortiq; ipſum tradidit. Homo igitur peccato, iræ Dei, & æternæ morti obnoxius, perpetua triſtitia & anxietate præmebatur excruciabaturq;. Filius igitur Dei miſerrimos ac calamitoſißimos homines ex tantis malis liberatum uenit, ac pro peccato noſtro, obedientia ſua ſatisfecit, ſatis-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

factione ſua Deum nobis reconciliauit, à Deo nobis reconciliato, uitam æternam impetrauit, atq; peractis omnibus redemptionis officijs, hoc immenſum diuinæ gratiæ beneficium ſua interceßione nobis impetratum in uniuerſum terrarum orbem diuulgandum, Apoſtolis ſuis demandauit. Et ob id ipſorum doctrinæ & prædicationi, dulcißimam Euangelij appellationem indidit. Quid enim lætius nunciari, quid exoptatius contingere poteſt homini, qui peccati conſcientia angitur, qui metu iræ Dei & terrore mortis perhorreſcit ac contremiſcit, quàm remißio peccatorum, reconciliatio cum Deo, & uita æterna?

Qui igitur Euangelium prædicauerit, cũ in id potißimum animum intendere debeat, ut ſolido & perfecto gaudio miſerorum peccatorum corda repleat & exhillaret: iuxta illud Chriſti. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam uos, & Iohannes hic teſtatur, ſe eo animo & conſilio nobis ſcribere, ut ſecundum Apoſtolicæ doctrinæ appellationem, gaudium noſtrum ſit completum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

completum. Quare, quibus id rebus ſolummodo efficitur, remiſsionem peccatorum & iuſticiam, amicitiam & reconciliationem cum Deo, & uitæ æternæ fœlicitatem annunciabit. Quod Apoſtolus noſter hoc loco, adhibito etiam ſingulari quodam artificio, fideliſsimè præſtitit. Nam licet tempore & ordine rerum quodammodo prius ſit, eſſe iuſtum, quàm amicum Dei, amicum Dei, quàm conſortem uitæ æternæ: Apoſtolus tamen in tradenda doctrina ſalutis, rectè & eruditè hunc ordinem inuertit, ac rerum ad noſtram ſalutem neceſſario concurrentium enumerationem, orditur à uita æterna, ab hac ad amicitiam & ſocietatem cum Deo, inde ad remiſsionem peccatorum & ueram iuſtitiam regreditur. Teſtamur, inquit, & annunciamus uobis uitam æternam. Quò autem conſtet Apoſtolica doctrina annunciari uitã æternã, hanc rationẽ reddit. Quod uidimus & audiuimus annunciamus uobis, ut unà nobiſcum, ſocietatem habeatis cũ patre, et filio eius Ieſu Chriſto. Nemo enim niſi amicus & ſocius Dei, cum Deo patre & filio ipſius, beata immortalitate

 perfruetur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

perfruetur. Ac rurſus, quò fidem faciat, Doctrina Euangelij ſocietatem & amicitiam cū Deo, ſe nobis annunciare, modum & rationem acquirendæ ac retinendæ amicitiæ Dei, ſe etiam annunciare addidit. Nempe, ut ſicut Deus lux eſt, ita nos quoq; in luce ambulemus, hoc eſt, ut per ſynceram fidem & dilectionem non ſimulatam, per quam fides efficaciter operatur, nos diuinæ uoluntati conformemus. Mutuus enim uoluntatum, animorum ac ſtudiorum conſenſus amicitiam conciliat & cōſeruat. Et ad hunc quidem modū, uel ſicut Rhetores in deductione rationum ſolent, à uita æterna, ad amicitiam Dei, ab hac ad mentionem conuerſationis in luce deſcendit. Vel ſicut in conſilijs capiendis fieri conſueuit, Finis hominis, uitæ æternæ fœlicitas, ſicut primus eſt in intentione, ita primum ponitur, poſtea in deliberatione de medijs aſſequendi propoſitum finem primum occurrit, ſocietas cum Deo, à qua ad conformitatem diuinæ & noſtræ uoluntatis peruenitur. Hæc quoniam in deliberatione quidem conſequendi uitam æternam, eſt ultimum, in ipſa uero actione ſiue executione primum, ideo in hac uoluntatum diuinæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

& humanæ conſenſu ac conformitate, per partes, quæ ſunt fides & dilectio, alternis deſcribenda, tanquam in principali propoſitione, ſiue probanda, ſiue declaranda, tota reliqua Epiſtola uerſabitur. Cui ſanè deſcriptioni, quorũ fides & dilectio congruere ac reſpondere reperietur, illi, quoniam iuxta diuinæ uoluntatis beneplacitum animo afficientur, omniaq; ſtudia & actiones ſuas inſtituent, digni ob id habebuntur amicitia Dei, ac iure amicitiæ participes erunt omnium cœleſtium bonorum ac hæreditatis uitæ æternæ. Homo igitur mortalis & miſer hæc audiens, an non ſummo gaudio perfundetur? Quod ut perfecte compleatur in nobis, hæc de conuerſatione in luce, & quæ ab hac dependet, de amicitia cum Deo, & in quam hæc deſinit, de uita æterna, Iohannes ſe nobis ſcribere teſtatur. Hanc eſſe mentem Apoſtoli, tametſi non eſt obſcurum, quo tamen res planior fiat, conſulatur Euſebius præclarus ſriptor, de præparatione Euangelica lib 1. In cuius initio clariſſimis uerbis, has res, in quibus cardo noſtræ ſalutis uertitur, gaudium perfectum cum uita æterna, uitam æternam cum amicitia Dei, amicitiam Dei

cum fide & uita Chriſtiana connectit. Dicit enim Euangelium ſic dictum, quòd æternam nobis fœlicitatem annunciet. Cuius caput ſit uera Religio, quam definit animi ad unum ſolum & uerum Deum, firmam & ſtabilem conuerſionem, & uitam mandatis Dei conformem. Et adijcit, Qua quidẽ uita amicitia inter Deum & homines conſtituitur. Amicitiam uero Beatitudo illa ultima & fœliciſſimus finis conſequitur. At negari non poſſe, poſt pauca aſſerit, quin animæ, corporis, & externorum bonorum affluentiſſimam copiam, optime ac beatiſſime poſſideat is, qui charitate Dei ſit coniunctus: Beatiſſimam uero hanc beneuolentiæ coniunctionem Chriſtiana religione ſit conſecutus. Hanc ſalutarem hominum ad Deum conuerſionem & amicitiam, ab omnipotente Deo miſſus Deus, uerbum, tanquã lucis infinitæ ſplendor, cunctis annuntiat. Plura in eandem ſententiam apud hunc Autorem leguntur, quibus præſentem Apoſtoli locum, qui ſummam Euangelicæ doctrinæ continet, paulò dilucidius & copioſius retulit & explicuit. Hunc igitur propter ſummam autoritatem, & aptiſſimam rerum & uerborum

inter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

inter ſe conuenientiam in præſenti Apoſtoli loco enarrando ſequimur, eo modo & ordine, quo paulò ante dictum eſt. Principio autem præcedentium uerborum, denuo repetit, & inculcat nobis certitudinem ſuæ doctrinæ. Quod uidimus, inquit, & audiuimus, annunciamus uobis, ut omnẽ de ea dubitationis ſcrupulum nobis eximat. Ac notatu digniſſimum eſt, quod rationem redditurus, uerè nobis uitam Apoſtolica doctrina annunciari, ita ſocietatem & amicitiam cum Deo allegat, ut prius Apoſtolorum & noſtræ inter nos ſocietatis & amicitiæ mentionem faciat.

Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum.

ANimorum enim in Apoſtolicam doctrinã firma conſenſio, eſt arctiſſima ac ſanctiſſima illa hominũ inter ſe ſocietas, quæ Eccleſia & cõmunio Sanctorũ in Symbolo Apoſtolico apellatur. Neq; enim in externorũ rituũ et cæremoniarũ earundẽ obſeruatione ſita eſt illa Eccleſiæ omniũ temporũ ac per totũ orbẽ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*terrarum diſperſæ ſocietas, ſed in unitate fi-
dei & inuocatione nominis Chriſti, id quod &
D. Paulus 1. Corinth. 1. docet, ubi Eccleſiæ
Dei, quæ erat Corinthi, gratiam & pacem à
Deo ita precatur, ut in horum bonorum ſocie-
tate Corinthijs coniungat eos omnes, qui
inuocant, inquit, nomen Domini noſtri Ieſu
Chriſti, in quouis loco, uel ſuo uel noſtro. Ve-
ra enim Inuocatio ex uera fide, hæc autem ex
ſyncera Euangelij doctrina, ab Apoſtolis
tradita proficiſcitur, Roma. 10. Quiſquis
inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Quo-
modo igitur inuocabunt eum, in quem non cre-
diderunt? Quomodo autem credent ei, de quo
non audierunt? Quomodo autem audient abſq;
prædicante? Quomodo autem prædicabunt, ni-
ſi miſsi fuerint? ſicut ſcriptum eſt. Quàm ſpe-
cioſi pedes annunciantium pacem, annuncian-
tium bona. Amicitiæ igitur cum Apoſtolis
iungendæ ac conſeruandæ uinculum eſt, con-
ſenſus in doctrina Euangelij. quod diſſenſione
in doctrina diſſolui, indicio ſunt hæreſes &
ſciſmata, quibus unitas Eccleſiæ ſcinditur.
Quare Iohannes, ſe annunciatione Euange-
lij nos ſibi ſocios adiungere uelle ſcribit.*

Quanquam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Quanquam autem Apoſtoli in mundo unà cũ ſua doctrina, fuerint contemptiſsimi, ut pleriſq; ipſorum amicitia non magnopere expetenda, ſed procul fugienda potius, ac negliendda doctrina ipſorum uideatur: tamen ſocietas, quam cum Apoſtolis doctrinam ipſorum amplexando iungere, & retinendo tueri debemus, tam arctè colligata eſt cum Dei patris & filij eius Ieſu Chriſti ſocietate, ut in hanc nullus recipiatur, qui conſenſu & approbatione doctrinæ Apoſtolicæ, ſocietatem & amicitiam cum Apoſtolis non prius contraxerit. Quare ſocietatem, quæ cum Apoſtolis conſenſione doctrinæ iungitur, prius etiam hic commemorat, quàm eam, quæ cum Deo patre & filio ipſius Ieſu Chriſto habetur. Ex quibus etiam dignitas amicitiæ & ſocietas cum Apoſtolis initæ perſpicitur, contra cæcum mundi iudicium, quo conſenſio in doctrina cum Apoſtolis, impiorum ac factioſorum hominum cõſpirationis ſpeciem habere falſo putat: impiæ enim factionis, nemo iure eos inſimulauerit, in quorum ſocietate Deum quoq; cum filio ſuo Ieſu Chriſto adeſſe, ac præcipuum in ea locum obtinere probatur, Apoſtolo dicente.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Et ſocietas noſtra ſit cum Pa= tre & filio eius Ieſu Chriſto.

DE hac ſocietate Chriſtus Iohannis 15. ſuis loquitur Apoſtolis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæcunq; ego præcipio uobis. Non poſthac uos dico ſeruos, Quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci uobis. Item, Iohan. 17. Pater ſerua eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut nos. Licet autem Chriſtus & Iohannes, tantum patris & filij mentionem hic faciant, ab hac tamen ſocietate Spiritum ſanctum non excludunt, qui quoniam ab utroq; procedit, ſi maxime non exprimitur nominatim: utriſq; tamen perpetuò & ubiq; iunctus eſſe intelligitur. Quare hæc ſocietas noſtra erit cum uno & uero Deo Patre & Filio & ſpiritu Sancto, in qua uitam & æternam beatitudinem conſiſtere, de iure amicitiæ tritum ſermone prouerbium ſatis oſtendit. Amicorum omnia communia. Quid enim reliquum ſibi Deus fecit, quod nobis non impertiuerit, qui proprio filio, ut Paulus Romanorum

octauo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

octauo ait, non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum? Quid autem malorum noſtrorum fuit, quod Chriſtus non in ſuos humeros uiciſſim tranſtulerit, atq; expiauerit? Hæc bonorum pariter atq; malorum communio, ſicut aliâs in ſcripturis iure matrimonij inter Chriſtum & Eccleſiam, ita hoc loco iure amicitiæ nobis conſideranda proponitur. Extant autem hinc inde non ſolum in ſacris, ſed & in prophanis autoribus, multa & præclara admodũ amicitiæ præconia, quæ quidem de hominibus, & hominũ inter ſe amicitia, extra cauſam ueræ Religionis, dicta, omnia ſunt Hyperbolica. Nihil enim tantis laudibus in rebus humanis reſpondet. Quid ſplendidius, exempli cauſa, de amicitia dici potuit, quàm quòd Cicero in Lælio ſcriptum reliquit. Secundas res ſplendidiores facit amicitia, aduerſas partiens communicansq; leuiores. Cumq; plurimas & maximas commoditates amicitia contineat, tũ illa nimirum præſtat omnibus, quod bona ſpe prælucet in poſterum, nec debilitari aut cadere animos patitur, uerum etiam iam amicum qui intuetur, tanquã exẽplar aliquod intuetur ſui.

Quocirca

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Quocirca & abſentes adſunt, egentes abundant, imbecilles ualent, & (quod difficilius dictu eſt) mortui uiuunt, tantus eos bonos memoria, & deſiderium proſequitur amicorum. Quid autem uanius & inanius his uerbis reperietur, ſi cum humanæ amicitiæ celebratißimis exemplis conferantur. Quid enim, quod Cicero maxime in amicitia admiratur, ſi uiuit defunctus in memoria ſuperſtitis amici, propediem tamen morituri, ac fortaßis neq; amicum neq; memoriam ſui relicturi? At nihil tam præclare, ſplendidè ac magnificè cogitari, dici aut ſcribi à quoquàm homine poteſt, quod non res ipſa, atq; commoditas illius amicitiæ longè ſuperet, quæ nobis cum Deo intercedit. hoc nobis propitio, & amico, egentes abundamus, imbecilles ualemus, mortui uiuimus, ac ſi quid his dici poteſt admirabilius, res ipſa abunde comprobat.

Quare Dei amicitia hæc præ omnium hominum amicitia expetenda, non quod hominum etiam alienorum à fide Chriſtiana fauorem & amicitiam negligendam aut deſerendam putem, quam nullis non rationibus parandam ac retinendam eſſe iudico, quibus ſalua amicitia

& ſo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

& ſocietate cum Deo, obtineri poteſt. Verũ ſi alterutram cum altera ſimul colere non licet, Dei Patris & Filij ipſius Ieſu Chriſti gratia & amicitia, omnium hominum fauori ac beneuolentiæ meritò eſt anteferenda. Cur enim Dei amicitiam, hominum gratiæ non præponamus? Siquidem Deo nobis propitio & amico, aut noſtros inimicos nobis etiam reconciliabit, Iuxta illud Prouerb. 16. Si placuerint Domino uiæ hominis, inimicos quoq; eius conuertet ad Patrem: Aut ſi inimicum & hoſtilem in nos animum gerere ſinet, aut defendet nos contra illorum iniuriam atq; ſæuitiam, ne lædamur: aut ſi certis de cauſis ipſorum furori indulſerit, quid grauius & crudelius nobis facere poſſunt, quàm corpus occidere? Cur igitur Reges ac Principes, adeoq; omnes in uniuerſum homines, contra Deum & ueram ipſius Euangelij doctrinam pugnantes, non potius inimicos aliquis capiat, modo Deum fautorem & amicum habeat, qui eſt pauperum opulentia, languentium ſanitas, ac mortuorum uita. Qui igitur rerum omnium creatorem Deum, & uitæ ac mortis Dominum Ieſum Chriſtum, neceſſitudine ſibi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ita habet deuinctũ, quoniã ad ſummã et æternã fœlicitatẽ ei nihil unquã eſt defuturũ, quin tantæ fœlicitatis annũciatione uerè Euãgelica, incredibilẽ animo lætitiã & gaudiũ ſit cõceptur us, cũ nemo ambigat, idcirco pergit, dicẽs.

Et hæc ſcribimus, ut gaudium ueſtrum ſit plenum.

EVangelij enim Doctor hoc inprimis ſpectare debet, ut iuxta doctrinæ Apoſtolicæ appellationem, miſerorum ac perditorum hominum animi gaudio geſtiant atq; exultent. Sæpenumero quidẽ doctrina Legis adbibita, peccata arguit, eorumq; atrocitate monſtrata, grauiſsimos horrores & terrores ſecuris Epicureorum, ac falſa iuſtitiæ perſuaſione imbutis Phariſæorum animis incuttere ſtudet Concionator Euangelicus, ſed id eo conſilio facit, ut hoc modo locus præparetur Euangelij gaudio. Quam enim iucunditatem & lætitiam audita Euangelij prædicatione concipiet, in cuius animo, uel Epicurea in manifeſtis peccatis ſecuritas, uel Phariſaica propriæ iuſtitiæ fidutia, agnitionem ac terrorem peccati, iræ Dei & mortis excludit? fruſtra nãq; Euangelij uoce exhillarare ac conſolari eum ſtudebimus, qui nullo peccati mærore, nullo iræ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Dei metu, nullo mortis terrore concuttitur. Quare Legis quidem doctrina ſonare in Eccleſia debet, ſed ut tanquam ancilla doctrinæ Euangelij inſeruiat, uiamq́; ſternat perueniendi ad gaudiũ, quod ut cõpleatur ac perficiatur, Iohannes potiſſimũ hæc ſe nobis ſcribere dicit. Videtur aũt tacitã facere Antitheſin, gaudij Euangelici, & quorumuis aliorũ gaudiorũ in mundo. Quæcunq; enim mundana gaudia proferas, omnia eſſe exigua & leuia, omnia eſſe momentanea atq; euanida, ac tantiſper dũ durant, doloris amaritudine diluta, Eccleſiaſtes omnia iucundarum ac delectabilium rerũ genera percurrendo declarat. At præter amicitiam Dei & uitæ æternæ beatitudinem, quæ ſunt ſumma bona, cũ nihil cuiquam exoptabilius euenire poſſit, cuius acceſſione Euangelicum gaudium augeatur, neq; deinde ex diuinæ amicitiæ ac beatæ immortalitatis perfruitione faſtidium ullum obrepat, quo ſacietas huius gaudij aliquem capiat, nulla deniq; ægritudo ſit, quæ hoc gaudiũ contaminare, aut poteſtas aduerſaria, quæ id à nobis auferre queat, Chriſto nos conſolante & confirmante, Iohan. 16. Triſtitia ueſtra uertetur in gaudium, & gaudium ueſtrum nemo auferet à uobis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Quare non de nihilo factum eſt, quod Apoſtolus ait, ſe hæc nobis ſcribere, ut gaudium noſtrum ſit plenum. Siquidem hoc ſolum eſt gaudium uerum, ſyncerum & ſolidum, quod per Euangelium annunciatur, & excitatur in cordibus noſtris.

Ex huius autem gaudij plenitudine, ſcripturæ etiam ſufficientia & perfectio facile colligitur. Quid eſt enim, quod præter plenum & perfectum gaudium deſiderare quis poßit? Ad hoc autem gaudium conſequendum, quæcunq; conducunt, ea in ſcripturis tradita eſſe Apoſtolus teſtatur, cum ſe & hoc loco nobis ea ſcribere fatetur, quibus gaudium noſtrum plenū reddatur, atq; omnibus numeris abſoluatur: & ſub finem Euangelij ſui, multa quidem dedita opera à ſe eſſe prætermiſſa, quæ de Chriſto ſcribi præterea poterant, nihil dißimulat, Verum ne quis ea requirat, hæc autem ſcripta ſunt, ſubijcit, ut credatis, quòd Ieſus eſt Chriſtus ille filius Dei, & ut credentes uitā habeatis per nomen eius. Vitæ enim æternæ poſſeßione, & plenitudine gaudij noſtri, ſufficientiam & perfectionem ſcripturæ Apoſtolus metitur atq; definit, ad reprimendam temeri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tatem & audaciam eorum, qui neſcio quibus in rebus deficientem ſcripturam ſarciendi, atq; imperfectam complendi, hoc eſt, perfectam & ſynceram ſcripturam detruncandi ac deprauandi licentiam, & quidem honeſto catholicæ Eccleſiæ titulo ſibi ſumunt.

Poſtquam igitur primùm uitam nobis annunciari audiuimus, deinde amicitiam & ſocietatem cum Deo, eo nimirum conſilio, ut plenum & perfectum gaudium habeamus, reſtat ut explicemus rationem, qua amicitia cum Deo contrahatur.

Et hæc eſt annunciatio, ſiue promiſsio, quam audiuimus ex ipſo: et annunciamus uobis, Quòd Deus lux eſt, & tenebrę in eo non ſunt vllę.

VOcem, ἐπαγγελίαν, uetus interpres annunciationem, recentiores promiſsionem uerterunt. Bene utriq; quidem, ſed magis probanda fortaßis promiſsio, quæ Græcæ uocis ſignificationi, & Euangelicæ doctrinæ magis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

congruit, & annunciationis ſignificationem in
ſe includit, quod enim quis promittit, idem ſi-
mul annunciat, at nō ē conuerſo: quanquā enim
hæc uerba addita, Quòd Deus Lux eſt, & te-
nebræ in eo nō ſunt ullæ, magis annunciationis
ac ſimplicis narrationis, quàm promißionis for-
mam præ ſe ferant, tamen ijs Deum lucem eſſe,
ita annunciatur, ut ſimul tacite etiam promit-
tatur, eos inter amicos Dei computandos, qui
ſicut Deus eſt in luce, ita ipſi quoq; in lu-
ce ambulent. Nam non niſi ex ui promißionis
poſtea Apoſtolus infert, & ſic colligit. Si dix-
erimus, quod ſocietatem habeamus cum illo &c.
Quod ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in lu-
ce &c. Sit igitur hæc lex communis, cum ho-
minibus pariter atq; cum Deo iungendæ ami-
citiæ uoluntatum conſenſus, ſimilitudo mo-
rum ac ſtudiorum, iuxta illud ὁμοιότης τῆς φι-
λότητος μήτηρ. Quod quidem de amicitia inter ho-
mines copulanda, quotidiana experientia, &
in eam rem conſcripti quidam Apologi, lucu-
lenter oſtendunt. Cum Deo autem eodem mo-
do amicitiam coaleſcere, humana etiam ratio
intelligit. Socratem namq; ueri Dei ac uer-
bi ipſius ignarum, ſed apud Græcos ſapientiſ-
ſimum iudicatum, dixiſſe ferunt, Bonos uiros

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

non ſecus rerum omnium dominos eſſe, atq; immortales Deos: eò quòd amicorum inter ſe omnia ſint communia, & boni uiri ſint Deorum amici. Bonam & beneficam eſſe naturam diuinam, recta ratio omnibus dictat. Bonos ergo uiros, ſimilitudinis ratione, amicos Deorum Socrates uocauit. Vulgus ob id ipſum, mortales homines, in Deorum etiam numerum retulit. Socrates igitur, à uero quidem Deo aberrauit: ſed quiſquis ille uerus Deus eſſet, eius amicos, bonitatis quadam ſimilitudine, ſtatuit eſſe bonos uiros, ſic enim omnino res habet, quòd ne Dei quidem amicitia abſq; ſimilitudine & æqualitate quadam conſtare poßit. Diuinæ igitur lucis communione D. Iohannes hoc loco nos Deo ſocios & amicos coniungit. Quid autem Lucis nomine deſignare uoluerit, quo facilius intelligatur, obſeruandum eſt, Lucis uocabulum de ſpiritualibus rebus in ſcripturis uſurpatum, primùm ſignificare illuſtrem notitiam ueritatis in mente, Deinde rectitudinem ſecundum ueritatis regulam in uoluntate, Tertio, quæ utramq; conſequitur, æternæ uitæ & beatitudinis claritatem. Sicut è contrario tenebræ primũ ſignificant,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

obſcurationem & caliginem mentis, in ignorantia ueritatis. Deinde prauitatem uoluntatis à iuſtitiæ Regula deflectentis. Tertio, cæci & tenebricoſi carceris inferorum cruciatus & tormenta, de quibus Chriſtus ſaluator noſter Matth.22.ait. Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Secundum has omnes acceptiones, Lux quidem ſola de Deo, Tenebræ uero ſolæ de Diabolo, Lux autem & Tenebræ de hominibus dicuntur: de pijs quidem & amicis Dei Lux, de impijs uerò & amicis Diaboli Tenebræ: eò quòd illi Lucis diuinæ, hi uero tenebrarum Diabolicarum ſint participes atq; conſortes. Cum autem lucem ſolam de Deo uſurpari dicimus, hanc appellationem lucis etiam concedimus Mediatori Chriſto, cæteriſq; rebus omnibus, quibus Deus lucem ſuam hominibus communicat. Sic Iohan.1. Chriſtus lux uera eſt, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Sic Matth.4. de Verbo & Euangelio Chriſti dicitur. Populus qui ſedebat in tenebris & umbra mortis, lucem uidit magnam. Sic de ueris uerbi Miniſtris Chri-

ſtus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſtus ait, Matth. 5. Vos eſtis lux Mundi Sicut & Tenebrarum appellationem, quam ſolam Diabolo tribuimus, non detrahimus peſtilenti doctrinæ, & Diaboli miniſtris, quorum opera in excæcandis ſeducendisq; hominibus utitur.

Quanquam autem ſecundum omnes acceptiones ſupra recitatas, Deus lux eſſe, uel in luce eſſe, nec tenebras in eo ullas eſſe, uel ignorantiæ, uel iniuſtitiæ, uel miſeriæ rectè dicatur, cum ſit ipſa ueritas, iuſtitia & æterna fœlicitas: tamen de duabus primis potißimum acceptionibus Lucis, accipi hoc loco debet, quod Iohannes ſcribit. Deus Lux eſt, & Tenebræ in eo non ſunt ullæ: de ueritate uidelicet & iuſtitia. Quando igitur Deus Lux eſſe, & tenebras in eo nullas eſſe, amplificationis & aſſeuerationis cauſa, à Iohanne affirmatur, omnis ignorantiæ errorum & mendaciorum, omnis iniquitatis, immunditiæ & turpitudinis ſuſpitione à Deo longè lateq; remota, infinita eius ſapientia & iuſtitia, & ipſe omnis ubiq; & in omnibus, ueritatis & ſapientiæ, rectitudinis & æquitatis, fons & origo, autor & amator, propagator & conſer-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

uator eſſe prædicatur. His igitur ubi, Deo largitore, nos ipſi conformes præbuerimus, in ſanctiſsimam ipſius amicitiæ ſocietatem, & in tutiſsimam uitæ eternæ poſſeſsionem admittemur. Nam ex duabus primis lucis ſignificationibus, iuditium faciendum eſt de tertia, quæ eſt ſocietas cum Deo, & uita eterna. Quemadmodum & ex contrariis duabus tenebrarum ſignificationibus, Chriſtus de tertia pronunciat Iohan. 8. Vos ex patre Diabolo eſtis, (ſcribas & phariſeos alloquitur) & deſideriis patris ueſtri uultis obſequi. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit, quia non eſt in eo ueritas.

Ad eundem modum Iohannes hic ſtatim colligit. Si dixerimus quod ſocietatem habemus, & in tenebris ambulamus, mentimur, et ueritatem non facimus. Quæ enim communio luci cum tenebris? quod conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? Quæ concordia Chriſto cum Belial? 2. Corinth. 6. Quòd ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus cum

cum eo. Hanc locutionem, in tenebris uel in luce ambulare, ſunt nonnulli, qui non ad fidem, primariam & principalem Chriſtianæ doctrinæ partem, ſed ad alteram, uitæ fidelium conuerſationem, referendam putent. Verum quoniam Apoſtolus noſter non tantum docet, quomodo noſtram ſocietatem cum Deo declaremus, ſed & quomodo eam acquirere ac retinere poßimus, idcirco ambulare uel in tenebris uel in luce, in eandem ſententiam accipiendum eſſe uidetur, in quam ſententiam D. Paulus, hæc uerba Eph. 5. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino, interpretatus eſt Epheſ. 4. Nam cur quondam ipſos tenebras fuiſſe dixerit, ſic enarrat. Hoc itaq; dico, & teſtor per dominum, ne poſthac ambuletis, quemadmodum reliquæ gentes, in uanitate mentis ſuæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à uita Dei, propter ignorantiam, quæ eſt in illis, & excæcationem cordis eorum. En tenebras ignorantiæ & infidelitatis. quibus tenebras ſceleratæ & flagitioſæ uitæ ſubnectit, in quam plerunq; increduli prolabuntur. Qui poſtquam eò

per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

peruenerunt, inquit, ut dolere deſierint, ſemetipſos dediderunt laſciuiæ, ad patrandam immunditiam omnem cum auiditate. Cur aũt Lux, & id in Domino? Quia uos, ait, non ſic didiciſtis Chriſtũ: ſiquidem illum audiſtis & in eo docti fuiſtis, quemadmodum eſt ueritas in Ieſu, deponere iuxta priorem conuerſationem ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiſcentias erroris: renouari uero ſpiritu mentis ueſtræ, & induere nouũ hominem, qui iuxta Deum conditus eſt, per iuſtitiam & ſanctitatem ueritatis. Quibus ſatis liquet D. Paulum & tenebrarum & lucis appellationibus, arborem bonam & malam ſimul cum ſuis fructibus compræhendere. Hæc duo mihi hic Iohannes etiam complectitur, noſtra quidem in tenebris conuerſatione, ueri Dei & Chriſti ſaluatoris ignorantiam, & uitam à charitate Chriſtiana alienam: Conuerſatione uero in luce, Chriſti ueram fidem & agnitionem, & ſynceram dilectionem, per quam fides eſt efficax. Nam cum diuinæ lucis communione Iohannes hic tradat rationem uerißimam & exactißimam contrahendæ cum Deo amicitiæ. Atq; ea non poßit alia ratione cum Deo conciliari,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ciliari, quàm ſublatis omnibus offenſionis & & diſcordiæ cauſis, quæ ſunt peccata & iniquitates noſtræ, ſicut Eſaias teſtatur. Peccata ueſtra diuiſerunt inter uos & Deum ueſtrum, & iniquitates ueſtræ abſconderunt faciem eius à uobis, ne exaudiret. Duplici autem ratione & modo, Deus nos à peccatis noſtris liberat & repurgat. Primùm gratuita ipſorum remiſsione, propter filium redemptorem, per fidem. Deinde, Sanctificatione Spiritus ſancti, quem credentibus in filium largitur, atq; eius illuſtratione Lucem etiam charitatis accendit, ad reſtaurandam in nobis ipſis, & reipſa, originalem ſiue legalem iuſtitiã, quæ eſt Euangelicæ ac fidei iuſtitiæ fructus. Cuius reſtaurationis inchoatio eſt in hac uita, ſecundum Spiritus S. primitias, Abſolutio uero & complementum fiet in uita futura, iuxta Spiritus ſancti decimas, quas tum demũ accepturi ſumus. Iohannes igitur eos ſentit ambulare in luce, quorum in cordibus, primum omnium uera in Chriſtum Ieſum fides lucet. Deinde fidei luce accenſa, etiam charitas ardentiſsimè flagrat. In tenebris uero ambulare eos intelligit, qui uera in Chriſtum fide carent,

rent, Et quæ ex hac promanat, ueræ dilectionis ſunt expertes, illi quantumuis ciuilibus uirtutibus ac religioſæ uitæ ſanctimonia in oculis hominum ſplendeant, & ſibi & alijs intimi dei amici eſſe uideantur, abſente tamen ueræ fidei & dilectionis diuina & cœleſti luce, eos in tenebris ambulare, falſò ac mendaciter amicitiam & ſocietatem Dei iactare, Iohannes clare pronuntiat, ſimulatq́; inutilem iudicat, ad amicitiam dei parandam, non ſolùm Socraticã illam bonitatem, ſed & diuinæ legis obſeruandæ uehementiſsimum ſtudium, cùm ſine uirtute fidei, ſuis tantum corruptæ nature uiribus nemo eam præſtare poßit: id enim Apoſtolus uoluit, cùm grauißimis uerbis dixit, Mentimur & ueritatẽ nõ facimus. etc.

Nihil autem aliud uoluiſſe Apoſtolum, cum dicit, ſi in luce ambulamus, ſocietatem habemus cum eo, quàm ſi ſimpliciter ſic locutus fuiſſet, ſi in uera fide & ſyncera dilectione ambulauerimus, ſocietatem habemus cum eo, ex tota Epiſtola manifeſtius deinceps euadet. Nam totus deinceps in eo erit Apoſtolus, ut nobis explicet, quomodo ad ſocietatem & gratiam cum deo ineundam, retinendam, eamq́; co-

ram hominibus conteſtandam, in luce ambulare debeamus, Quas autē res alias per totam epiſtolam poſtea tractat, quàm quæ ad fidei & dilectionis proprietatem & naturam cognoſcendam ſpectant? Quare in luce ambulare, nihil aliud Iohanni ſignificat, quàm ueræ fidei & dilectionis ueſtigijs ingredi.

De fide igitur & dilectione dicturus apoſtolus, aptiſsime rem ab ipſa fide auſpicatur: quem ordinē dicendi de hiſce duobus præcipuis chriſtianæ doctrinæ locis, in omnibus fermè epiſtolis ſuis, ſeruauit etiam D. Paulus: qui ordo nobis quoq; retinendus eſt, Neq; enim parum refert, quo ordine & loco fides, & opera dilectionis tradantur. Primum namq; fidei doctrina, cum doctrina operum non eſt miſcenda, ſicut papiſtæ faciunt, qui dum in iuſtificatione fidem & dilectionem confundunt, utramq; ſimul corrumpūt: ſeorſim igitur utraq; tradenda, ac prior locus attribuēdus fidei, ſine qua cōſtare dilectione quit. Et quoniā quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt, quæ in ſpeciem bona dilectionis opera, ſine fide preſtarētur, pro bonis operib. non eſſent habenda. Eſſet etiā ualde præpoſterū, cum fides fundamenti, opera

opera dilectionis tecti locum habeant, in ædificio ſpirituali, non prius poſito fundamento, in tecto extruendo laborare. Quare, ut ſapiens Architectus, ſicut D. Paulus, ita quoq; D. Iohannes, primùm fundamentum ponit, præter quod aliud nemo ponere poteſt. Sic enim ſcribit.

Et ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius, emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, non peccauimus, mendacem facimus eum, & ſermo eius non eſt in nobis.

Hæc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Hæc ſuppreſſo quidem nomine Fidei ad fidei tamen doctrinam pertinere, ſatis opinor liquet. Doctrinæ enim fidei ſumma, his uerbis continetur: ſanguis Ieſus Chriſti filij Dei, emundat nos ab omnibus peccatis. Eſt igitur hæc ſententia uera fide infigenda cordibus noſtris. Qua primum admonemur, immunditiæ & fæditatis noſtrorum peccatorum, Deinde Lauacri Chriſti ſanguinis, quo ſolo ab omnibus peccatis noſtris repurgamur. Agnitio enim peccati, cum agnitione filij Dei, in doctrina euangelij & prædicatione pœnitentiæ, ſemper eſt coniungenda. Nam agnitio filij Dei, ſine agnitione peccati, eſt otioſa, agnitio autem peccati, ſine agnitione Chriſti, eſt pernitioſa. Quid enim profuerit audire, Chriſtum mortuum eſſe propter peccata noſtra, & excitatum eſſe propter iuſtificationem noſtram, ſi quis ſe nulla labe peccati contaminatum eſſe fallatur? Quantum autem agnitio peccati ſine fide obſit, Cain, Saul, Iudas, & ſimilia exempla teſtantur. Quare qui ante hæc tempora reuelati Euangelij, prorſus ſepulta doctrina fidei, has pœnitentiæ partes numerarunt, contritionem, confeſſio-

nem & ſatisfactionem: quæ ad exaggerandam quidem peccatorum magnitudinem plurimum, nihil autem ad illam expiandam faciebant, non dubium, quin multis deſperationis autores fuerint. Longè aliter Chriſtus ſaluator noſter prædicationem ſuam Marci 1. inſtituit, ubi duobus uerbis agnitionem peccati & fidem complexus eſt, dicens, Reſipiſcite & credite Euangelio. Sic & D. Iohannes breuiter de remiſſione peccatorum dicit: Sanguis Ieſu Chriſti filij Dei emundat nos ab omnibus peccatis. Hoc uero dictũ poſtea plenius explicãs, eo primum uſq; ad finem capitis docet, peccati agnitionẽ ſe exigere, deinde initio ſecũdi capitis, agnitionẽ, Mediatoris etiã ſe requirere oſtendit. Cum autem ait, Sanguis Chriſti emundat nos à peccatis, totum opus & beneficium redẽptionis Chriſti intelligit, quod morte ipſius conſummatum fuit: Chriſti autẽ oblationi in cruce, & ipſius effuſioni ſanguinis, dum hoc loco uirtutem emundandi à peccatis attribuit, eam non ſolum Taurorum aut Hircorum, ſed & ſanctorum Martyrum ſanguini ac quibuslibet alijs ſatisfactionibus pro peccatis detrahit, quas præter ſanguinem Chriſti

Hyppo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Hyppocritæ finxerunt. Et hanc ſanguinis Chriſti efficaciſsimam uim, nos purificandi à ſordibus noſtrorum peccatorũ, neq; ad certum uitæ tempus, neq; ad certa peccatorum genera aſtringit, quemadmodum nonnulli, & magni etiam nominis uiri, Chriſti ſanguine ea ſolum peccata in Baptiſmate ablui cenſuerunt, quæ baptiſma inueniret, quæ uero accepto baptiſmate poſtea committerentur, aliȷs quibusdam ſatisfactionibus, uel noſtris, uel alienis, eſſe redimenda. Efficatiam ſanguinis Chriſti, per omnem hanc uitam, & ad omnis generis peccata Iohannes extendit, cum ait: ſanguis Chriſti emundat nos ab omnibus peccatis noſtris. An non Iohannes, & quibus ipſe ſcribit, baptiſmum receperant? Baptiſmus autem actione ea, qua confertur uel pueris uel adultis, non finitur, ſed inde uſq; ad finem uitæ ipſius uſus durare, & uirtute ſanguinis Chriſti ad abluenda omnia peccata noſtra ualere debet. At peccatis poſt baptiſma omnes etiam ſine exceptione obnoxios eſſe, Iohannes non eò ſolum innuit, quod cum hic, tum in ſequentibus, ſeipſum peccatoribus ſemper annumeret, qui Chriſti ſanguinis emundatione in hac uita

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

perpetuò indigeant, ſed & ex profeſſo hoc in præſentia agit, ut peccati cōfeßionem omnibus extorqueat, quo ſibi Chriſti ſanguinis lauacro opus eſſe, omnes magis perſpiciant & fateantur. Si dixerimus ait, peccatum non habemus, nos ipſos fallimus, & ueritas in nobis non eſt.

Infra cap. 3. audiemus, diabolicū eſſe, ſi quis peccet, uel peccatum faciat, hîc ſtultum & impium eſſe dicit, ſi dixerimus, peccatū non habemus, uel non peccauimus. Quare ne Apoſtolus ſibi parum conſtare uideatur, diſcrimen peccatorum tenendum eſt. Sunt enim peccata quædam contra conſcientiam, quando quis prudens ſciensq; Legem Dei uiolat, ac quippiam deſignat, quo Deum grauiter offendi, ex Lege nō ignorat: ut cum Dauid rapuit alienam coniugem, & maritum occidit, non potuit ignorare, quin committeret, quo Deus offenderetur, qui in Lege adulterium & homicidiū ſeueriter prohibuerat. Ad imitationem tamen Sathanæ, Deum contemnere atq; offendere maluit, quàm ſuam cupiditatem non explere. Hæc igitur peccata, quæ D. Paul. Gal. 5. uocat manifeſta opera carnis, quia conſcientia facientis, ex Lege facile iudicare ac ſcire poteſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

teſt, quòd Deo diſpliceant, Iohannes infra cap. 3. tanquam Diabolica pijs diligenter cauenda eſſe præcipit. Quibus qui fuerit obnoxius, nemo uel tam ſtultus, uel tam impius eſt, qui ſe peccatum nõ habere ſit dicturus. Ideo de his manifeſtis peccatis hic Apoſtolus nõ loquitur.

Præter hæc autem, ſunt alia quædam peccata, quæ altiores radices egerunt in carne noſtra, quàm ut ea, non prius carne per mortem depoſita, pœnitus exſtirpare ualeamus, ut ſunt caligo & dubitatio in mente, prauæ inclinationes uoluntatis, & reliquarum uirium, diffidentia de diuina gratia, fiducia noſtri, & innumeri alij uitioſi affectus. Hæc mala interiora etiam in renatis, D. Paulus Roma. 7. deplorat tanquam mortalia peccata, à quibus non liberat, niſi gratia Chriſti: uerum ſunt occultiora, quàm ut ab omnibus, præſertim autem ab Hippocritis, pro peccatis agnoſcantur. Nam olim fuerunt Pelagiani & Cathari, nec hodie deſunt, qui mala hæc interiora negent eſſe peccata. Ac Monachi opera etiam Supererogationis ſomniarunt, quibus debitam Legis obedientiam tranſcendere ſibi uideri nequaquam poſſent, niſi à peccato ſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

proſus immunes eſſe ſtatuerēt. Cōtra quos, de internis illis peccatis etiā in renatis, hæc admonitio eſt neceſſaria. De iis igitur potiſsimum hîc Iohannes agit, & in eorum agnitionem nos adducere conatur. Vt ſi minus ea cauere, eorum tamen ueniam à Deo propter Chriſtum conſequi poſsimus.

Tribus autem rationibus adductis, hoc ſupercilium Phariſaicum, de carentia peccati, nobis detrahere, & ingenuam peccati confeſsionem perſuadere conatur. Primum ſtultitiæ repræhenſione, quam nō effugiemus: ſi dixerimus nos non habere peccatum Nos ipſos enim, inquit, fallimus & ueritas non eſt in nobis. Stultum eſſe ac turpe ducimus, atq; ob id indigniſsime ferimus, ab aliis nos falli ac decipi, At tanto turpius & ſtultius eſt, nos à nobis ipſis falli ac decipi, quàm ab aliis, quanto nobis minus alii, quam nos nobiſmetipſis noti eſſe poſſumus & debemus, iuxta Prouerbiū, Noſce teipſum. Cui tantam uim ſapientiæ ineſſe ſemper iudicatum fuit, ut Deo autori ab hominibus Ethnicis etiam tribueretur. Summa igitur è contrario ſtultitia fuerit, ſui ignoratione ſibimetipſi imponere, quod tū fit, cum aliter

de nobis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

de nobis ſentimus & loquimur, quàm rei ueritas habeat. Vt cum ſimus obruti peccatis, ſiue, ut Paulus loquitur, uenūdati ſub peccatū, nos iuſtos eſſe, & peccato carere, iactare non ueremur. Excutiamus nos ipſos, & omnes noſtrorum cordium latebras, & actiones noſtras, facile nos peccatores eſſe depræhendemus. Alexander magnus rerum geſtarum amplitudine elatus, ſe pro Deo coli & adorari uoluit: hac ſtultitia applaudentib. adulatoribus ſuis, magna iucunditate fruebatur, donec accepto uulnere, ſanguinē profluentem cerneret. ibi tum ſuam ſtultitiam, & adulatorum ſuorum impudentiam, hac uoce redarguit: ô amici, hic quidem ſanguis hominum eſt, non nectar Deorum. Sic caro & ſanguis nos quidem ſordium peccati & impuritatis noſtræ admonere debebāt inuita, quas tādem nobis tacentibus, mors ipſa fatetur.

Altera uerò ratio, qua peccati agnitionē & confeßionē nobis commendat, hæc eſt. Quòd niſi confiteamur peccata, ad peccatorū remiſſionem aditū nobis præcludamus, quem cō feßione uicißim patefacimus. Si cōfiteamur peccata noſtra, ait, fidelis & iuſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra: quibus non remißis, nobis

profecto pereundum eſſet. Ita cum periculo & iactura æternæ ſalutis, quoniam abnegatione noſtri peccati coniunctam eſſe animaduertimus, ut pecati remißionem conſequamur & uitam æternam, confiteri peccata noſtra non dubitemus. Hæc ratio deſumpta eſt ex Pſalmo 32. Quoniam tacui contabuerunt oſſa mea, dum rugirem tota die, Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, Conuerſus eſt humor meus in ariditatem æſtiuam. Hæc de dißimulatione peccati dicuntur, & de tabe, cæteriſq; incommodis, quas ſecum trahere ſolet. Quibus tandem tanquam tormentis quibuſdam Deus nos ad peccati confeßionẽ adigit, Sic enim ſtatim ſequitur. Delictum meũ cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi confitebor tranſgreßiones meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno. Atq; ex his Prophetæ uerbis planum eſt Iohannem confeßionis nomine non intelligere confeßionem illam auricularem, quam ſuperſtitio peperit, auaritia aluit, & pontificia dominatio ſtabiliuit, contra uerbum Dei. Quod quidem confeßionem peccati

requirit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

requirit, ſed quæ in conſpectu Dei fiat, & ſeriam peccati deteſtationem in ſe contineat.

Cuius confeßionis Exempla in ſcripturis habemus Publicanum, dicentem, Deus propitius eſto mihi peccatori, Luce 18. Danielẽ ſua & populi peccata confitentem, Cap. 9. Dauidem in Pſalmis, Salomonem, & quotquot unquam pij fuerunt. Quanquam autem ad conſequendam remißionem peccatorum, confeßio hæc neceſſariò requiratur, non tamen huius confeßionis merito nobis illa à Deo contingit, ſicut nonnulli hinc colligunt, præſertim cum addatur Deum fidelem & iuſtum eſſe, ut remittat confeßis ſua peccata: ac ſi remißionem peccatorum tanquam iuſtitiæ debitum, retribuat merito noſtræ confeßionis. Nihil minus cogitauit Apoſtolus noſter, neq; quiſquam piorum, qui peccata ſua Deo confeſſus eſſe legitur. Nã ſi confeſſio mereretur remiſſionem peccatorũ, Cain certè & Iudas inprimis eam obtinuiſſent. Neq; enim, ſicut Ionas, diu ſuum peccatum celarunt, neq; uerbis illud uel extenuare uel excuſare uoluerunt, ſicut Adam peccati ſui culpam tranſtulit in Euam, Eua in ſerpentem, Saul uero Rex religio-

nem etiam ac cultum Dei, ſuo peccato prætexuit. ſed ambo Iudas & Cain, ſimpliciter & apertè peccata ſua confeßi ſunt, neuter tamen ueniam peccati meruit. Quam id quæſo ob rem aliam, quàm quod non noſtræ confeßionis lachrimis, ſed Chriſti ſanguinis profluuio Deus miſericors peccata confeßis abluat? Qua igitur ratione neceßitatis, confeßio ad remißionem peccatorum exigitur, ſi eam non meretur? Eadem propemodum ratione, qua morbi agnitio, ad curationem requiri, ab omnibus cognoſcitur. Quis enim neſcit, febrim quidem non curari ægri cognitione, qua ſcit ſe eo morbo laborare, ſed aptis & idoneis remedijs medicorum? quorum tamen opem non prius æger implorabit, nec ſalutaria ipſorũ remedia admittet, quàm ſe graui & ardenti morbo correptum eſſe ſentiat. Eodem modo de peccatis animæ morbis iudicandum eſt, ad quos quidem curandos, nemo prius ſibi recurrendum eſſe ad Chriſtum exiſtimabit, quàm ſe periculoſißime laborare agnoſcat & confiteatur.

Id uero ubi fecerimus, fidelis eſt Deus & iuſtus, ut remittat nob. peccata noſtra. Ac fidelis quidẽ, quòd gratuitã de remiſſione peccatorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

torum promiſſionem nobis in Chriſto factā ſeruat: fidelis enim dicitur à fide ea, quæ dictorū conuentorumq; conſtantia & ueritas definitur. In quo ſenſu, Fidei uoce apoſtolus ad Rom. 3. utitur. Num incredulitas illorū, fidem Dei faciet irritam? ubi fides uel ipſam promiſſionem, uel eius ſeruandæ diuinam ueritatem ſignificat. Cum autem omnes promiſſiones diuinæ in Chriſto ſint amen & ita 2. Corinth. 1. certitudo & ueritas remiſſionis peccatorum, Chriſti etiam ſanguinis prætio & dignitate nitetur. Ob hanc cauſam Deum, in remittendis peccatis noſtris, fidelem eſſe dixit, ob eandem etiam iuſtum uocat. Non autem ea iuſtitia, qua cuiq; pro meritis ſuis digna rependit præmia, ſed qua credentibus in Chriſtum, ſua ſeruat promiſſa. Nam cū ea fides, qua ſtatur promiſſis, ſpecies quædam ſit iuſtitiæ, ſicut Deus ab ea fide fidelis, ita & iuſtus non immerito appellatur.

Quare et hæc ſeruādarum promiſsionū gratiæ Iuſtitia, cum Dei miſericordia coniungitur. Nā quam Deus miſericorditer in Chriſto promiſit, eam gratuitam remiſsionem peccatorum, per hanc iuſtitiam, conſtanter & fideliter

deliter præſtat, ſic enim ferè paßim in ſcripturis uidemus miſericordiam & ueritatem coniunctim in celebratione diuinæ gratiæ & bonitatis prædicari, quod hoc uno teſtimonio pſalmi 100. planum fiet. Laudate inquit nomen domini, quoniam ſuauis eſt dominus in æternum miſericordia eius, & uſq; in generationem & generationem ueritas eius. Miſericordia quidem in gratuita peccatorum remißione promittenda, ueritas autem, in hac gratiæ promißione præſtanda. Quod diligentius aliquanto obſeruandum eſt, propter eos, qui cùm Deum fidelem & iuſtum eſſe audiunt, in remittendis peccatis, peccatorum condonationem præmium illico eſſe imaginantur ſuorum meritorum, cum tamen ea ſolum ratione hic deus iuſtus ſit, quod ſuas ſeruet promißiones, quæ ſunt gratuitæ. Vtrunq; igitur uerè & rectè dicitur, in remitēdis peccatis noſtris, Deum & miſecordem, & iuſtum eſſe, ſed eadem ratione iuſtum, qua antea Iohannes fidelem dixerat, fidelem autem, non à noſtrorum meritorum dignitate, ſed à ſuarum promißionum ueritate uocauit.

Hæc non ſolum tenenda ſunt ad deuitandum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

dum refutandumq́; errorem Hyppocritarum, qui ſuorum meritorum fiducia tument, ſed & ad eximendam dubitationem cordibus noſtris, de gratuita remiſſione peccatorum, quæ credentibus in Chriſtum tam certa continget, quàm certum & indubitatum eſſe debet, deum mentiri ac ſeipſum abnegare non poſſe, Id enim ipſum facere oporteret, ſi credentibus in Chriſtum peccata non condonaret, iniuſtus enim eſſet & mendax: at nulla uanitatis & iniuſtitiæ ſuſpitio in deum cadere poteſt, quod in tertia ratione nobis perſuadendi peccati confeſſionem adducit, ad quam iam nunc etiam ueniamus. Ait ergo.

Si dixerimus, non peccauimus, mendacem eum facimus, & ſermo eius non eſt in nobis. Hoc enim tertio loco ſignificatur, eos qui ſe peccatores eſſe negant, in deum impios eſſe & blaſphemos. Neq; enim impia in Deum contumelia caret, ſi quis ipſum mendacij arguere audeat. id uero illi facere conuincuntur, qui miſerorum peccatorum nomine cenſeri nolunt. Quid enim frequentius in ſcripturis repetitur, quàm prauum eſſe cor hominis ab adoleſcentia: Reſpexiſſe deum de cœlo ſuper homines, ut

uideret

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

uideret, num eſſent qui requirerent, & intelligerent deum, ſed ne unum quidem eſſe repertum: longum foret omnes eiusmodi locos commemorare: in genere ſaltem tota Doctrina legis cogitetur. Hac enim D. Paulo teſte. Deus omnes homines ſub peccatum conclusit, omnibus os obdurauit, totumq; mundum ſibi obnoxium reddidit. Iã uero & Euangelij doctrina hoc ipſo, quo gratuitam peccatorum remiſsionem omnibus hominibus in toto mundo annunciat, omnes non ſolum peccati conuincit, ſed & peccati atrocitatem omnibus ob oculos ſtatuit, dum non niſi unigeniti filij Dei, duriſſima ſatisfactione in cruce pro nobis præſtita, peccatum expiari, nosq; Deo reconciliari non potuiſſe, dilucide monſtrat. Sic enim ex medendi ratione, ſiue medicamento, quod in deſperatis morbis adhiberi conſueuit, nonnunquam coniecturam non dubiam capimus, de periculo laborantis. Qui igitur ſe peccatorem eſſe inficiatur, an non Deum, in Lege et Euangelio, omnes homines, peccatores eſſe pronunciantem, mendacij arguit, aut, quod eſt ἐμφατικώτερον, *mendacem facit; ac per conſequens ſermonem Dei, in ſe non eſſe declarat; id quod*

& Io-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

& Iohannes addidit. Vbi ſermonē Dei, & ſigillatim uel de Lege, uel de Euãgelio, et cõmuniter de utroq; licebit intelligere: nam qui ſe peccatorem eſſe negat, neq; ſermoni Legis neq; ſermoni Euangelij locum in ſe relinquit, ſed utrumq; ſimul abijcit. Hæ ſunt tres rationes longè grauiſſimæ, quæ non iniuria omnes homines exſtimulare ac permouere deberent, ut ſe peccatores coram Deo quâm humilime confiterentur. Quod ſi qui, uel propriæ iuſtitiæ falſa perſuaſione, uel operum Supererogationis defenſione, facere recuſant, ut de duabus primis rationibus nihil dicam, ipſi uiderint, quomodo ſaltem contra tertiam rationem Iohannis, ſe non horribili impietatis atq; Blaſphemiæ crimine conſtrictos teneri probent ac tueantur? Et hactenus quidē de agnitione & confeſſione peccati: nunc progreditur Apoſtolus ad remiſſionem & ablutionem peccati, quam breuiter ſanguine Chriſti fieri cur dixerit, copioſius docet.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

CAPVT II.

Filioli mei. Hæc ſcribo vobis, ne peccetis. Et ſi quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.

PRimum blandiſsima filiorum appellatione, qua ſæpius deinceps utetur, quo animo erga ſe mutuo affecti eſſe debeant, Euangelij doctores, & auditores ipſorum, indicat. Doctores quidem paternum affectum induant, ac ſummam ſolicitudinem gerant, pro fidelium ſalute, quos in Chriſto genuerunt. Auditores filiorum officium diligenter & ſedulo faciant, ac honorem parentibus habendum, ſuis concionatoribus deferant. Iohannes igitur tanquam pius pater,

anxius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

anxius pro ſuorum liberorum ſalute, hæc ſcribo uobis, inquit, ne peccetis. Quæ nam ſunt illa, quæ ſe ſcribere dicit? Quæ iam audiuimus: primum ad ſocietatem cum Deo iungendam, nobis in luce uerſandum eſſe. Deinde, ne nos peccatores eſſe negemus, quod peccatum eſt omnium maximum. Quid autem, ſi quis peccauerit, num ſpes abijcienda contrahendæ amicitiæ cum Deo? nequaquam. Scribo quidem uobis, ne peccetis: ſed qui omnino nō peccandi, ſummam ſapientiæ & iuſtitiæ perfectionem in hac corruptibili carne non aſſequimur: quod proximum eſt, peccati ſaltem humiliter confitendi modeſtiam ac remiſsionis peccatorum rationem, uera fide teneamus. Hanc paulò ante uno uerbo attigerat: ſanguis Chriſti nos emundat à peccatis noſtris. pluribus nunc exponit, cuius partes Chriſtus apud Patrem agat, ut nobis remiſsionem peccatorum impetret. Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum.

Iuditio & actioni forenſi perſimilis eſt Iuſtificatio peccatoris, in eo iuditio Iohannes aduocati perſonam Chriſto tribuit. Nam in Iuſtificatione Peccatoris hæ tres ſunt præcipuæ

 perſonæ:

Perſonæ Iudicis, Aduocati & Rei: Iudicis perſonã Deus, Aduocati Chriſtus, Rei perſonam gerit miſer homo. Ac quid ad Iuſtificationem peccatoris unaquæq; harum perſonarũ conferat, D. Paulus Roma. 3. apte admodum ac diſtincte exponit. Iuſtificamur aũt gratis, per gratiam illius. De Deo Iudice primùm loquitur, cuius tametſi ſint innumeræ aliæ uirtutes: in Iuſtificatione tamen peccatoris coram iudicio Dei, Dei gratia & miſericordia dominãtur, cum qua coniuncta etiã tum intelligitur, ueritas & ea iuſtitia Dei, qua Deum gratuitã gratiæ promiſsionem fideliter ſeruare, in ſuperioribus audiuimus. De Chriſto Aduocato & mediatore deinde Paulus addidit: per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus Reconciliatorem, per fidem, interueniente ipſius ſanguine. Nam quanquam & de Chriſto, multa & admiranda præterea hyſtoria Euangelica cõmemoret: in iuſtificatione tamen peccatoris, ipſius Redemptio & propitiatio potiſsimum requirenda & conſideranda nobis à D. Paulo proponitur. Ac ſimul etiam, facta Fidei mentione, oſtenditur, quid Reus ad ſui iuſtificationem in hoc iudi-

cium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

cium adferre debeat, nempe fidem, apprehendentem Dei iudicis miſericordiam, & Chriſti mediatoris ſatisfactionem pro peccatis. Nam tametſi & in homine ſaluando Deus multas quoq;, & præclaras uirtutes alias requirat, tamen cum homo peccator, tanquã Reus iuditio ſiſtitur, ſolius Fidei ratio habetur. Sicut igitur hæ tres perſonæ, Dei Iudicis, Chriſti mediatoris, & hominis peccatoris, in iudicio Dei conueniunt: ita ad peccatoris iuſtificationem, Miſericordia Dei, Redemptio Chriſti, & Fides Peccatoris concurrunt: quibus omnibus coniunctim & ſeorſim ſingulis iuſtificari rectè dicimur. nam Papiſtæ calumniantur, nos in doctrina iuſtificationis parum nobis conſtare, qui nunc Gratiæ Dei, nunc Redemptioni Chriſti, nunc hominis fidei Iuſtificationem adſcribamus. Hanc enim omnibus ſimul Apoſtolus tribuit: ac ſi cui earum ſeorſim Iuſtificationem adſcribit, reliquas duas ſimul etiam adeſſe oportere ſentit. Vt cum Apoſtolus Paulus, nos Fide ſine operibus iuſtificari pronunciat, de Fiducia Dei Miſericordiæ propter Chriſtum promiſſæ, loquitur. Non enim alia Fides ingreditur Iuſtificationis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

rationem, quàm quæ & miſericordiam Dei apprehendit, & ſatisfactionem Christi nobis applicat. Ad hunc igitur peculiarem proceſſum, qui in Iuditio Dei ſeruatur, D. Iohannes etiam hîc reſpexit, & in peccatoris iuſtificatione coram Deo, Chriſto Ieſu aduocati perſonam & officium tribuit.

Ad hoc autem Aduocati noſtri munus & officium rectius intelligendum, plurimum conducũt, quæ de æterno Chriſti Sacerdotio paſſim in ſcriptura, inprimis aũt Pſal. 110. & in Epiſtola ad Hebræos leguntur. Miſerorum enim peccatorum cauſam agit aduocatus noſter coram Deo, non defenſione aut excuſatione, ſed deprecatione culpæ & pœnæ: precibus autem pro populo apud Deum intercedere, in ueteri Teſtamento pertinebat ad officium Sacerdotũ, qui Chriſti Aduocati noſtri figuram gerebãt, & Chriſti unici Mediatoris noſtri interceſsionem, ſuis precibus adumbrabant. In hac interceſsione ſumma illorum Sacerdotum dignitas conſiſtebat, ac quæcunq; alia ab ipſis fiebant, eò ſpectabant omnia, ut recte & utiliter Interceſsionis munere defungerentur. Conſimiliter & Chriſti ſumma dignitas

gnitas ſita eſt in hac ipſius pro nobis apud patrem interceßione. Ad quam quidem rite & efficaciter obeundam, alia omnia, quæcunq; Chriſtus fecit & paſſus eſt, referuntur.

Quòd autem Sacerdotes Leuitici ordinis, qui ex hominibus conſtituebantur, oraturi pro peccatis populi, primùm neceſſe habebant, pro ſeipſis offerre, deinde pro populo: duas ex eo conditiones colligimus: quibus præditum eſſe oportet, qui ſua interceßione ueniam peccati impetrare debeat. Primùm ut ipſe prius ſit apud Deum in gratia. Deinde ut pro illorum peccatis Deo ſatisfaciat, pro quibus orat. Harum enim conditionum alterutra qui deſtituitur, Aduocatum noſtrum agere apud Deum non poteſt. Quare ne inanem Aduocati Titulum, Iohannem Chriſto dediſſe quis putet, has duas conditiones, inter Deum & homines legitimi Mediatoris proprias, ita de Chriſto probat, ut ob eas Aduocati apud Deum ampliſsimam dignitatem, uni & ſoli Chriſto competere, ſimul demonſtret.

Nam quod ad priorem legitimi Aduocati conditionem attinet, eam in Chriſto unica uoce deſignauit Iohannes: Aduocatum habe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

mus apud Patrem, Ieſum Chriſtum: & addit, Iuſtum: quo ipſum in ſumma apud Deum gratia ſemper fuiſſe, nec ullo unquã peccato Deum offendiſſe ſignificat. Quare ſolus ipſe nullius patrocinio, nullo pro ſe ſacrificio indiget. Sunt autem in promptu, Patris gratiæ, & immenſæ dilectionis erga Chriſtum teſtimonia: in quorum numero excellit, quod pater ipſe, non ſemel hac uoce cœlitus demiſſa, Chriſto perhibuit. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt, ipſum audite. Nec procul Chriſti ſummæ innocentiæ & ſanctitatis teſtimonia ſunt querenda: his enim referta eſt tota ſcriptura, quibus ſecundum utriuſque diuinæ & humanæ naturæ Iuſtitiam, ſanctißimus eſſe prædicatur. Peccatum enim non facit unquam, nec inuentus eſt Dolus in ore eius.

De ſatisfactione autem Chriſti pro peccatis noſtris, quæ eſt poſterior legitimi Aduocati conditio, clara ſunt uerba Iohannis. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Quia enim non Auro & Argento nos redemit, nec oues & boues pro nobis obtulit, ſed pretium ſatisfactionis pro nobis, ſeipſum in cruce expen-

dit,

dit, Propiciator, adeoq; propiciatio ipſa uerè dicitur. Hoc crucis Chriſti ſacrificiũ, Agnus paſchalis, & omnia ſacrificia propiciatoria præfigurarunt: Prophetæ clariſsimis ſuis uaticiniis, de Chriſto propter noſtras iniquitates uulnerato & attrito prædixerunt: deniq; omnes Apoſtoli & Euangeliſtæ, unanimi conſenſu Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum eſſe teſtificantur.

Ac ne quid in hac altera Aduocati noſtri conditione deſiderare poſſemus, ſatisfactionis Chriſti pretium & ualorem, nobis ex eo æſtimandum reliquit, quod mox adiecit. Non ſolum propitiatio eſt pro noſtris peccatis, ſed etiam pro totius mundi. Mundi uocabulũ, haud ſcio an unquam aliter, quàm de reprobis & incredulis uſurparit. Ad eos igitur pretiũ mortis & redemptionis Chriſti, hîc etiã extendit, Non quòd cuiquam ſine uera in Chriſtũ fide, ipſius redemptionẽ ad conſequendam remiſsionem peccatorum, uſui futuram exiſtimet, ſed quòd ad expianda omnia peccata omnium hominum, qui ſunt, erunt & fuerunt in mundo, ſola mors Chriſti abunde eſſet ſuffectura, modo Chriſti mortis beneficio uterentur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tur. Hanc enim amplificationem, Iohannes ideo addidit, ut mortis Chriſti pretium illuſtraret, cuius amplitudo non ſolum ex uſu credentium, quorum plerunq; eſt magna paucitas, ſed & ex Chriſti redemptionis uirtute & opulentia cognoſcitur: qua infinitæ etiam pereuntium multitudini poſſet ſubueniri. Pretium autem ſatisfactionis Chriſti, tam late patere, fidei noſtræ de remiſſione peccatorum corroborandæ gratia admonemur, ne uel dubitatione labaſcat, uel deſperatione prorſus corruat. Quorum enim peccatorum noſtrorum ueniam deſperemus, qui Chriſtũ, non ſolum pro noſtris ſingulorum peccatis, ſed & pro totius mundi peccatis ſatisfeciſſe audimus?

Ex hac autem legitimi Aduocati deſcriptione, luce clarius apparet, nulli Angelorum, aut hominum ſanctorum, hunc ſummi gradus honorem & titulum Aduocati noſtri apud Deum conuenire: ſicut nulli eorum in ſcriptura etiam tribuitur. Quàm enim abſurdum atq; impium eſſe omnes pij intelligunt, ſi ratione iuſtitiæ hominem uel Angelum æquiparemus Chriſto, uero Deo & homini: ſi ſicut Chriſtum, ita hominem uel Angelum, propi-

tiationem

tiationem pro noſtris, & totius mundi peccatis eſſe dicamus : tam abſurdum & impium uideri profecto debet, ſi ipſos tanquam Aduocatos noſtros apud Deum interpellemus, & ut pro nobis orent, inuocemus. Quod & D. Auguſtinus in expoſitione huius loci eleganter annotauit, dicens: Si quis peccauerit, ait Iohannes, Aduocatum habemus apud Patrem, Chriſtum Ieſum. Chriſtum poſuit, non ſe. & habemus dixit, non habetis. maluit ſe ponere in numero peccatorum, ut haberet Aduocatū Chriſtum: quàm ponere ſe pro Chriſto Aduocatum, & inueniri inter damnandos ſuperbos. Arrigant hîc aures, qui prætextu uenerationis ſanctorum, ipſorum inuocationis & interceſſionis inueteratum errorem adhuc retinent & propugnant. Auguſtinus diſertè dicit, illum ſe pro Chriſto ponere, qui ſe Aduocatum apud Deum pro nobis auſit dicere: Chriſto autem deturbato, ſolium ipſius occupare, ſacrilegam eſſe ſuperbiam damnandorum. Egregiè uero ſanctos colunt ac uenerātur: quos, dum ſua inuocatione pro Chriſto ponunt, quantum in ipſis eſt, de ſententia Auguſtini, inter damnandos ſuperbos collocant. Summa: apud Deum nulli

Aduocato, præterquàm ſoli Chriſto locus eſt: ad Chriſtum nullo nobis Aduocato opus eſt. Chriſtus enim nos ultrò in tutelam ac clientulam ſuam recepit.

Hæc doctrina de unico mediatore & Aduocato Chriſto, nihil impedit mutuas piorum preces, quibus ſe Deo commendare iubentur. Nam & ſub finem Epiſtolæ, Iohannes dicit, orandum pro fratribus, nõ peccantibus ad mortẽ. Et Chriſtus fecit nos Deo Reges & Sacerdotes: & in ipſo aditũ habemus ad patrem cum fiducia: ſed hæ preces noſtræ, ſolo Chriſto mediatore, in cuius nomine fiũt, nitũtur. Quid enim aliud eſt, in nomine Chriſti aliquid à Deo petere, quàm ipſum cauſæ noſtræ Aduocatũ adhibere? à quo, præterquam quòd in inuocatione Sanctorũ receditur, ipſa inuocatione, abſentibus diuinitas etiã tribuitur. Ab hoc igitur errore deſiſtamus, & qui nobis à Deo proponitur, ſolũ Chriſtum Mediatorem & Aduocatum noſtrũ apud Deum amplectamur. Cuius ſolius interceßionis Fides, quem uſum in omnibus afflictionibus & aduerſitatibus habeat, & aduerſus omniũ hoſtium noſtrorũ potentiam & criminationes coram iudicio Dei, quantum a-

nimum nobis addat, D. Paulus Rom.8.monſtrauit. Quis intentabit crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis ille qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt: imò qui et ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dextrã Dei, qui & intercedit pro nobis: ut ea demum fructuoſa ſit, ac ſalutaris, Chriſti Mortis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & ad Dextram Dei Seßionis meditatio, qua in ipſius pro nobis interceßionis fiduciam, animi noſtri eriguntur, & in ea acquieſcunt.

Hanc Fidem in Chriſtum habentibus, cum Deus miſericors, fidelis & iuſtus peccata remittat, ac Ieſu Chriſti filij ſui Iuſtitiam pro nobis præſtitam imputet: tam iuſtos eos etiam coram ſuo iudicio reputat, quàm iuſtus eſt ipſe filius Dei, Ieſus Chriſtus, cuius Iuſtitiam pro nobis præſtitam Deus credentibus imputat. Qui igitur in hac fide ambulant (ut, quæ de fide hactenus dicta ſunt, ad inſtitutum Apoſtoli accõmodemus) cum in ea iuſtitiæ luce uerſentur, in qua Deus ipſe eſt, & filius eius Ieſus Chriſtus: atq; ut ſupra dictum fuit, hæc conuerſationis in luce conformitas, ſocietatem cum Deo et filio eius Ieſu Chriſto conſtituat.

Quare

Quare fides hæc erit prima illa ac præclariſſima uirtus, qua cum Deo Patre & Filio eius Chriſto amicitia contrahatur: cuius contrahendæ rationem Apoſtolus tradendam in hac Epiſtola ſuſcepit.

Et per hoc ſcimus, quòd cognouimus eum, ſi iuſſa illius obſeruamus. Qui dicit, noui eum, & præcepta eius non ſeruat, mendax eſt, & in eo ueritas non eſt. Qui autem ſeruat ſermonē eius, uerè in hoc Charitas Dei perfecta eſt. Per hoc ſcimus, quòd in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in eo manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.

NVnc procedit ad alteram partem conuerſationis in luce, quæ in fructibus Fidei conſiſtit, iuxta omnia opera Dilectionis Dei & proximi. Et ex hoc loco obſeruandum eſt: tametſi gratuita ſit remiſſio peccatorum, quæ credenti-

credentibus in Chriſtum contingit: hac tamen gratiæ diuinæ prædicatione, ſtudium bonorum operum non tollitur, ſed magis accenditur. Nam fidei notitiā, non eſſe Theoricam ſed practicam, non eſſe ſterilem ſed fœcundam bonorū operum, Iohannes hoc loco docet. Fruſtra igitur ſibi blandiuntur de fide, qui operibus dilectionis ſpecimen eius nullum ædunt. Ac malitioſe calumniantur Doctrinam gratiæ, qui ipſam diſſolutionis uitæ & morum cauſam eſſe uociferantur. Quibus utrisq; ſcripturæ ubiq;, & hîc Iohannes reſpondet. Cumq; fides per Dilectionem operetur, duo autem ſint generalia dilectionis mandata, quorum primum dilectionem Dei, ſecundum, dilectionem proximi à nobis exigit: utranq; ex uera in Chriſtum fide proficiſci, Apoſtolus noſter oſtendit.

Ac de Dei quidem & Chriſti dilectione primùm hic agit: eam ex fide promanare Peccatricis Lucæ, 7. & Petri cōuerſi exempla ſatis indicāt. De peccatrice Chriſtus ait: Remittuntur peccata eius multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus remittitur, is minus diligit. Contra huius loci corruptelas, inter ſe Simonis & peccatricis collatio à Chriſto facta,

cta probat, non modo ex fide dilectionem ſequi, ſed hanc etiam ab illa augmentũ ſumere. Quò enim grauioribus ac pluribus peccatis condonandis, Deum maiorem nobis gratiã feciſſe uera fide agnoſcimus, eò maiore etiam erga Deũ amore inflammamur. Nec aliud ſibi Chriſtus Iohan. 21. uoluit, ubi ait: Petre, diligis me plus cæteris? Petrus grauius contra Chriſtum deliquerat, quàm reliqui Apoſtoli. Chriſtus ex æquo omnibus ſua peccata condonat: hoc beneficio gratiæ Chriſti prouocati, omnes Chriſtum diligebant quidem, ſed quò Petri abnegatio grauius fuit peccatum, quàm reliquorum Apoſtolorum fuga, eò maiore Chriſti gratiæ beneficio ſe affectum eſſe, Petrus uera Fide agnoſcebat, quàm reliquos: atq; inde maiorem etiam dilectionis ardorem erga Chriſtum benefactorem concipiebat. Quo quidem Chriſti amoris igne ſuccenſus Petrus, cum nihil non in gratiam & obſequiũ Chriſti facturus ac paſſurus fuerit, quod gratiſſimum faceret, oues ſuas Chriſtus ipſi, ſicut reliquis Apoſtolis, paſcendas committit. hoc amoris erga Chriſtum ardentiſſimo affectu & D. Paulus plus cæteris omnibus in propaganda Euangelij doctrina

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

laborauit. Quod igitur luculenter in his & ſimilibus exemplis cernitur, ex fide oriri dilectionem Dei & Chriſti, id Iohannes hoc etiã loco primum oſtendit, dicens

Per hoc ſcimus, quòd cognouimus eum, &c.

D*Ei & Ieſu Chriſti Filij ipſius ueram notitiam profitetur fides: hanc certam eſſe debere, ſæpe dicimus. Eius autem certitudo duplici ratione conſideratur. Primùm qua ſine ulla hæſitatione, nos in ſumma apud Deum gratia eſſe ſtatuimus: huius certitudinis cauſa eſt, diuinæ gratiæ propter Chriſtum promiſsio. Romano. 4. Ideo ex fide, ut firma ſit promiſsio. Deinde alia eſt ratio certitudinis Fidei, qua illam diuinæ erga nos gratiæ certam perſuaſionem, uerè etiam in nobis eſſe, certò cognoſcimus: de qua D. Paul. 2. Corinth. 13. Vos ipſos tentate, inquit, num ſitis in fide. Vos ipſos probate: an non cognoſcitis, quod Ieſus Chriſtus in uobis eſt? niſi ſicubi reprobi eſtis. Quibus igitur ſignis hæc certitudo conſtet, Apoſtolus hîc indicat: nempe dilectione Dei & proximi. Ac dilectionem Dei*

manda-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

mandatorum ipſius obſeruationem definit.

De Dei autem dilectione, mandatorum ipſius obſeruatione declaranda loquens, non tantum primorum trium Decalogi præceptorum obſeruationem nobis iniungit, quibus peculiariter cultus Dei præcipitur: ſed in genere omnium præceptorum obedientiam requirit. Quanquam enim in priore Decalogi tabula, generale Mandatum de Deo diligendo, in poſteriore Mandatū de proximo diligendo explicetur: quicunq; tamen præceptum aliquod poſterioris tabulæ tranſgrediendo proximi Dilectionem uiolat, reus eſt & uiolatæ dilectionis Dei, qui proximi dilectionē præcepit. Iacob. 2. Vnde Pſal. 51. qui contra dilectionem proximi pudicitiam alienæ coniugi, & ipſius marito uitam eripuerat, ſic ad Deum orat. Tibi tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Ex mandatorū igitur Dei obſeruatione hominibus fides noſtra innoceſcit. Ac notanter dicit. ſi iuſſa illius obſeruamus. Nam humanis traditionibus ſeruandis Deus non diligitur, nec hoc argumento, nos ueram fidem habere, ſed ea nos potius carere cognoſcitur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Qui dicit noui eum, & præcepta &c.

IAM aliquoties admonuimus, Iohannem delectari, hac per antitheſin amplificandi & aſſeuerandi formula. Idē igitur quod prius dicit, Niſi quòd pluſculum eſt uehementiæ, in orationibus negatiuis, quàm affirmatiuis. Quid ni autem mendax ſit, & ueritatis expers, qui fidem & cognitionem Dei & Chriſti iactitat, nec eā obſeruatione mandatorum Dei probat. Eſt enim proteſtatio contraria facto, nec enim ſuam inanium uerborum iactantiam uerbis, ſed quòd multo euidentius eſt factis redarguit, iuxta illud ad Titum. 1. Deum profitentur ſe ſcire, cæterum factis negant, cum ſint abominabiles & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi.

Qui autem ſeruat ſermonē &c.

HIc clare exprimit, dilectionem Dei ſitam eſſe, in obſeruatione mandatorū eius. ſi libet uerba Apoſtoli conjicere in argumentationis formam, Minoris locū in Syllogiſmo obtinebunt. Quicunq; uera fide Deum cogno-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſcit, uere etiam ipſum diligit. Qui autem ſeruat mandata eius, uere in hoc charitas Dei perfecta eſt. Qui igitur ſeruat ipſius mandata, is uere Deum cognoſcit. Hæc enim ordine inter ſe coherent, ex Fide dilectio Dei, ex dilectione Dei mandatorum eius obſeruatio naſcitur. Nec dubium, quin ſi quis integram Legi obedientiam præſtet, perfecte Deum diligat. Sed quis eſt omnium hominum, qui perfecte Legem impleat, ut uere in eo charitatem Dei perfectam eſſe, dici poßit? Ne igitur miremur, Iohannem perfectam charitatem Dei, credentibus in Chriſtum tribuere: dilectionis Dei, ſicut & obſeruationis mandatorum eius perfectio, primum ſecundum eam obedientiæ noſtræ integritatem attenditur, quæ exactißime Legi Dei reſpondet. Ab hac perfectione procul abſunt omnes ſancti, dum in hac mortali uita degunt. Præter hanc alia eſt perfectio obſeruationis mandatorum Dei, quæ non ſecundum noſtrorum operum puritatem, ſed iuxta numerum præceptorum Legis, & uaria bonorum operum genera obſeruatur, ut quanquam nullum opus piorum perfecte ſit bonum, tamen hæc inchoatæ obedientiæ Legis

opera,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

opera, præſtant ſecundum omnia Dei præcepta, & bonorum operum genera.

Res exemplo dilucidior fiet. Math. 5. Eritis perfecti, ſicut Pater ueſter in cœlis perfectus eſt. Hoc ſi de ea perfectione accipitur, quæ exactioni Legis reſpondeat, concio Legis eſt, quæ omnes homines cõdemnat. Si uero hoc Chriſti diſcipulis dictũ eſſe intelligatur, eam perfectionem haud dubie ab ipſis requirit, ad quam imitatione cœleſtis patris tendere debeant, & peruenire etiã queant. Ea eſt eiuſmodi, quæ nõ in abſolutione, ſed in generibus operum cõſiſtit. Sicut enim pater noſter cœleſtis non tantũ bonis benefacit, ſed etiã malis, & mittit pluuiã ſuper iuſtos et iniuſtos: in eo, tametſi non paſſibus æquis, generibus tamen operũ iiſdem, patrem cœleſtem pij ſequuntur. Sic alibi etiam præcipit. Eſtote miſericordes, ſicut pater ueſter in cœlis miſericors eſt: non poteſt intelligi de noſtræ & miſericordiæ Dei æqualitate, quam nemo aſſequitur. Referendum erga ad numerum uel genera operum miſericordiæ, quorum ſunt duo, dare & remittere: ſicut Chriſtus ſemetipſum eo loco exponit, dicens. Remittite, & remittetur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

uobis, date, & dabitur uobis. Vere igitur credentes in Chriſtum, non tantum unum aut alterum Legis præceptum, ſed omnia obſeruare ſtudent: ſicq; cæleſtis Patris perfectionem quodammodo æmulantur. In ijs igitur Iohannes charitatem Dei, perfectam eſſe affirmat, eodem perfectionis modo, quo mandatorum Dei perfectam obſeruationem in credentes, auxilio Spiritus ſancti adiutos, in hac uita cadere oſtendimus.

Per hoc ſcimus, quòd in ipſo ſumus &c.

IVdicium minime fallax ueræ fidei in cordibus noſtris, oſtendit eſſe dilectionem Dei, & obſeruationem mandatorũ eius. Fieri enim nequit, quin Deus pro clementiſſimo Patre, & Filius pro dulciſſimo ſaluatore noſtro, uera fide agniti, nos in ſui ardentiſſimum amorem rapiant. Nunc alia fidei proprietate probat: obſeruationem mandatorum Dei, non dubium eſſe præſentis fidei ſignum. Fides enim nos Chriſto inſerit, Roma. 8. Nulla nunc eſt cõdemnatio his, qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu. Iohannis 15. Ego ſum uitis uera, uos palmites,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, Et ſine me nihil poteſtis facere: noſtri inſitio in Chriſtum, & manſio noſtra in ipſo, conſtat uera fide. Sicut autem, niſi Chriſto inſeramur, & in eo permaneamus, nihil boni facere poſſumus: ita ſi in illo ſumus, nihil boni quod nobis faciendum ſit, prætermittemus, Neq; enim palmites erunt ſteriles, qui uiti tã fertili ac frugiferæ ſunt inſiti. Chriſtus enim uberrimos fructus, obſeruationis mandatorum Dei, & ueræ dilectionis tulit, factus Patri obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Qui igitur dicit ſe in eo manere, id quod faciunt, qui chriſtianam fidem profitentur, debent, ſicut ille in uera Dei dilectione, & mandatorum eius obſeruatione ambulauit, & ipſi ambulare, & quam profitentur fidem Chriſti, Chriſtiana etiam uitæ conuerſatione hominibus approbare, ſicut Iacobus ait, oſtende mihi fidem tuam, per opera tua, & ego oſtendam tibi fidem meam, per opera mea.

Fratres, non præceptum nouum ſcribo vobis, ſed præceptum vetus, quod habuiſtis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ab initio. Præceptum vetus eſt ſermo, quem audiſtis ab initio. Rurſus pręceptum nouum ſcribo vobis, quod uerum eſt in ipſo, idem verum eſt & in vobis, quia tenebræ iam prætereunt, & verum lumen iam lucet.

PRiusquam in doctrina de dilectione, ad fraternam Charitatem nominatim nobis commendandam progrediatur, generalem quandam admonitionem, de præcepti dilectionis uetuſtate & nouitate, per occupationem interſerit. Ac uetuſtatis commendatione, ad diligentiam & ſedulitatem ſeruandi hoc præceptum nos excitat, quaſi dicat. Fratres, quos mutuæ ac fraternæ inter nos dilectionis cauſa, ſic appello, non ignoro, neq; inficior, me res magnas & difficiles à uobis exigere: dum uobis dilectionem præcipio, & in ea Chriſtum abſolutiſsimum exemplar imitandum propono. At hoc præceptum non nouum, & à me primùm uobis datur, ut inuiſæ cuiuſdam nouitatis odio, ad id ſeruandum difficiliores tardioresq́; merito uos præbere non poſsitis. Eſt enim ue-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*tus præceptum, quod ab initio ueſtræ ad Chri=
ſtum conuerſionis habuiſtis, nec tum primùm à
me accepiſtis. Quam enim aliã excellentiorem
doctrinam habuiſtis, priuſquam uobis Euange
lium annunciaretur, quàm doctrinã diuinæ le=
gis, quam Deus omnium ac ſingulorum hominũ
cordibus inſcripſit, & in Decalogo, per Mo=
ſen ſtupendis Miraculis promulgauit? Hæc
doctrina omnium prima fuit in mundo. Primis
enim parentibus in prima conditione fuit indi=
ta: poſtea per lapſum ipſorũ obſcnratam, Deus
lege per Moſen data illuſtrauit. Quæ quid a=
liud, quàm dilectionẽ Dei & proximi præci=
pit? Chriſto dicente Math. 22. Diliges Do=
minũ Deum tuũ, ex toto corde tuo, & in tota
anima tua, & in tota mente tua: et proximum
tuum, ſicut teipſum: in his duobus mandatis to=
ta lex & Prophetæ pendent. Eſt igitur præ=
ceptum dilectionis uetuſtiſsimum, quod habui=
ſtis ab initio, ſemperq; uobis ſeruandum eſſe du
xiſtis. Quare ne nunc quidem eius obſeruatio=
nem detrectabitis. Nam quod de Abrogatio=
tione legis per Chriſtũ facta docemus, de noſtri
per legem condemnatione, non aũt de legis ob=
ſeruatione intelligitur. Nam lex nos non po=*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

teſt amplius coram Deo accuſare, cui Chriſtus nobis ſatisfecit, eam tamẽ Chriſtus ſuo Spiritu faciendam, nobis etiam impoſuit: cuius obſeruationis ratione, quoniam nouitatis aliquid per Chriſtum, & per fidem in Chriſtum credentiũ, acceßit, uetus præceptũ dilectionis, nouum etiam à Chriſto Iohann. 13. uocatur. Nouum præceptum do uobis, ut uos inuicem diligatis.

Sed quæ eſt illa ratio, unde uetus præceptum, noui præcepti appellationem ſortitũ eſt? Papiſtæ ideo nouũ dici docuerunt, quia Chriſtus Legis præceptis, quædam ſeruanda ſuperaddiderit grauiora & præcepta, & conſilia, Matth. 5. Sed Chriſtus ibi defectum Legis, qui nullus erat, non ſupplet, ſed Legem nõ intellectam interpretatur, & à Phariſaicis opinionibus & corruptelis repurgat. Si enim propter eiuſmodi additamenta ac ſupplementa, nouum diceretur dilectionis præceptum, quam potiorem rationem reddent, cur nihilominus ſit & dicatur præceptum uetus? Vetus igitur dicitur, quod ſiue à Deo primum cordibus hominum inderetur, ſiue per Moſen inſtauraretur, ſiue per Chriſtum exponeretur, res ſemper eaſdem, Dei & proximi dilectionem, eadẽ

perfectione

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

perfectione exigebat. Quando autem nouum præceptum à Chriſto, & à Iohanne hîc dicitur, quis nouitatis talem rationem Iohannes aßignat, qua oſtendit, quis legem præſtet, & eam præſtandi facultatem & uires, quæ nos deficiebant, ſubminiſtret. Quod uerũ eſt in ipſo, idem uerũ eſt & in uobis &c. Vbi relatiuũ, Quod, ſi generis congruitatem ſpectes, non uidetur referri poſſe in Græco ad præceptum: uerum materialiter ſumptum, ut grammatici loquuntur, referri poteſt, & ad genuinam ſententiam eliciendam: eò referri etiã debet. Igitur diſcrimen obſeruationis præcepti dilectionis appellationum diuerſitatem parit. Nam præter Chriſtum nemo unquam legem integrè præſtitit, ac ſi quæ opera legis externa ab hominibus præſtita fuerunt, illa fuerunt ſimulata & Hipocritica: itaq; extra Chriſtũ, quòd ad obſeruationem legis attinet, nihil eſt candidi, nihil ſolidi, nihil ueri in homine, ſed ei multa adhuc deſunt, & ſi quæ bona legis opera præſtare uidetur, Hypocriſi omnia ſunt fucata. At in Chriſto uerum eſt præceptum dilectionis: quia ipſe ſolus uerè, integrè, & perfectè illud impleuit: qui Patri obediens factus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

eſt, uſq; ad mortem Crucis, hancq; pro inimicorum ſuorum ſalute ſuſtinuit.

Idem autem uerum eſt & in fidelibus, qui non tantum Chriſti exemplo prouocati, ſed & Spiritus Cpriſti auxilio adiuti, in hac uita inchoant ueram, ſeriam, & cordatam huius præcepti obedientiam. Præter innumera alia, duo inſignia huius obedientiæ exẽpla habemus, Stephanum orantem pro interfectoribus ſuis, Actor. 7. et D. Paulum ſanctè affirmantẽ, ſi fieri poſſet, ſe cum æternæ ſuæ ſalutis diſpendio, Iudæorum ſalutem eſſe redempturum. Sic igitur gratia, quæ per Chriſtum exorta eſt, liberat nos à Legis condemnatione: Chriſti ueritas autem ab obſeruationis Hypocriſi. Cum enim & in nobis uerũ ſit dilectionis præceptum, hanc rationem ſubijcit. Quia tenebræ prætereunt, & uerũ lumen iam lucet &c. Chriſti, illuſtris notitia, & ipſius ueritatis ſplendidiſsimũ iubar, tenebras noſtræ ignorãtiæ & Hypocriſeos, magis magisq; ſubinde diſcutit. Ideo in præſenti dixit, prætereunt: quia in hac uita ordimur hanc nouam & ueram Legis obedientiam, & in ea quotidie proficimus, ac in futura demũ uita eam perficiemus: interea ſemper tenebrarum noſtrarum caliginis aliquid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

remanet. Nunquam igitur in hac uita ſubſiſtendum, ſed quotidianis profectibus cõtendendum eſt ad futuræ profectionis metam.

Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſq; adhuc. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, et offendiculum in eo non eſt. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius.

IAM accedit ad commendandam nobis dilectionem fraternam, ac ſuo more per Antitheſin tenebras & lucem, odium & dilectionem opponit. Qui dicit ſe in luce, eſſe & odit fratrem ſuum, adhuc in tenebris eſt &c. In luce ſe eſſe dicit, qui ſe in Chriſtum credere confitetur. At ſimulata erit hæc Fidei confeßio, nec uerè per fidem Chriſto quis ſe inſitum dicit, ſi fraterna charitas defuerit. Hæc enim cum hoc Chriſti dicto conſentiunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſentiunt. In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter uos mutuam. Nam in luce eſſe, & eſſe diſcipulum Chriſti, nihil differunt. Fratres autem, hîc non tantum iiſdem parentibus prognatos, non tantum noſtræ Religionis & Fidei conſortes, ſed omnes ſimul homines intelligit: quos communis naſcendi ſors & conditio nobiſcum coniungit, hos omnes, notos & ignotos, domeſticos & peregrinos, amicos & inimicos, pro fratribus diligere nec illos odiſſe debemus. Odium autem hoc loco non tantum eſt amarulentia animi & inueterata ira, qua peculiariter contra quintum Decalogi præceptum delinquitur, non occides, ſed proximi dilectioni oppoſitum, ſecundæ Decalogi tabulæ præceptorum omnium tranſgreßionem ſignificat. Sicut enim fratrem diligit, qui honorandum honorat, qui uitam eius nullo telorum genere impetit, qui nullum damnum rebus ipſius infert, qui illius famam & exiſtimationem non lædit: ita fratrem odit, qui hæc facere negligit, aut his contraria etiam deſignat.

Et offendiculum in eo non eſt &c.

Fraterna

FRaterna charitas non tantum eſt teſtimonium in nobis lucentis fidei, ſed ipſa eſt etiam lumen Chriſtianæ conuerſationis, ſicut enim Fides eſt lumen charitatis, ita charitas totius Chriſtianæ uitæ, ſine offendiculo tranſigendæ. Et ſicut in rebus omnibus cum Deo agendis, ſi fidem prælucentem ſequemur, non offendemus: ita quicquid egerimus cum proximo, ſi in luce charitatis ambulemus, nullum erit in nobis offendiculum. Primum enim nos ipſi non impingemus, admittendo aliquid quod cum proximi dilectione pugnet. Nam caſtigationes aſperiores, obiurgationes acriores, quæ tanquam contumeliæ & conuitia cum charitate pugnare uideri poſſent, ſi ductu charitatis fiant, non ſunt offendicula, ſed neceſſaria fraternæ dilectionis officia. Deinde nullum proximo noſtro offendiculum præbebimus, dum non tantum ab omnibus illicitis, ſed à quibuſdam licitis & conceßis etiam abſtinebimus. Atq; hic eſt eximius fraternæ dilectionis uſus, quo diligenter cauetur, ne offendiculo ſimus proximo. Multa nobis fidei libertas, in quam Chriſtus ſanguine ſuo nos uindicauit, permittit, quæ fraterna dilectio facere prohibet. Ve-

ſci

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſci quibuslibet cũ gratiarũ actione Chriſtianæ fidei libertate conceſſum eſt: ſed cauendum ne hæc libertas in offendiculũ & perniciẽ fratris excidat, id quod fidei libertatis moderatrix charitas, egregiè præſtiterit. quemadmodũ D. Paul. Rom. 14. copioſe oſtendit, ac inter reliqua ſic ait. Si propter cibũ frater tuus cõtriſtatur, non iam ſecundum charitatem ambulas. Si igitur tanta cautione dilectionis opus eſt, in licitis & cõceßis nonnunquã prætermittendis, multo maior cura adhibenda eſt charitatis, in illicitis & inconceßis prorſus omittendis, ne quo modo ſimus offenſioni proximo. Quare & Roma. 13. quos Apoſtolus fidei iure in libertatem aſſeruerat: eos charitatis debito rurſus in ſeruitutem quodammodo redigit. Nemini inquit, quicquam debeatis, niſi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, Legem impleuit, nempe: diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Quemadmodum igitur oculis capti non poſſunt fouearum ac præcipitiorum pericula declinare, ita lumine fraternæ dilectionis orbati, non poſſunt præcauere offendicula, quin in ea præcipites ruant ipſi, & in ruinam ſecum alios quoq; trahant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Hæc de mandatorum Dei obſeruatione, & de eius obſeruationis partibus, de Dei dilectione & proximi charitate, eadem breuitate percurrit, qua paulo ante perſtrinxit: in quibus uera & ſalutaris cognitio Dei, & Ieſu Chriſti Mediatoris noſtri conſiſtit. Quibus ita cognitis atq; ſeruatis, quoniam in luce eſſe atq; ambulare reperiemur, ſicut Deus eſt in luce, & Chriſtus in luce ambulauit, ſocietatem cum patre & filio eius Ieſu Chriſto habebimus. Cuius iungendæ rationem & modum Apoſtolus tradendum, ut ſæpe iam dictum eſt, in hoc ſcripto ſuſcepit: et maiorem ſui inſtituti partem iam abſoluiſſet, niſi non tantum breuius dicta, uberiorem explicationem deſiderarent: ſed ad hanc & ueram apoſtolicam de fide & dilectionis operibus doctrinem, contra multiplices corruptelas retinendam ac præſtandam, præmonitionem quandam etiam ex officio addendam eſſe duxiſſet. Nondum enim ſatis recte & fideliter docendi munere defunctus eſt, qui quidum nihil falſi & alieni ab Euangelio de fide & operibus tradit, quin inanem etiam operã ſumit in his recte docendis: niſi de contrarijs etiam erroribus,

ipſorumq́;

ipſorumq́; autoribus cauendis , diſcentes præmoneantur. Sic D. Paulus in ſuis Epiſtolis, & in Actis , falſorum doctorum impoſturas cauendas detegit: ſecutus nimirum principis Paſtorum, Chriſti Domini noſtri exemplum, ne , quæ uera in ſermone illo in monte habito, Matth. 5. 6. & 7. docuerat, Pſeudoprophetarum mendatijs corrumperentur: à Pſeudoprophetis, tanquam à Lupis rapacibus, nobis cauendum præcipit: & ut caueri poſsint, quibus Lupina rapacitas, ſub pelle ouina latere cognoſcatur, certa ſigna monſtrat. Ex quibus, ubi Pſeudoprophetas cognouerimus, ne ipſis ob excellentia quædam dona , quibus plerunq; præſtant & confidunt, parcamus, ſed ut tanquam hoſtibus Chriſti fortiter reſiſtamus, prolata ſua in illos extremi iudicij ſententia, animum nobis addidit , nosq́; confirmatiores reddidit. Quamobrem, ne qua in parte & Apoſtolus noſter, ſuo officio deeſſet, de ijs cauendis, quibus fidei & dilectionis ſynceritas corrumpitur, paucula quædam ſubiunget: interpoſito prius, ſiue præcedentium Epilogo, ſiue ſubſequentium Exordiolo, quo indicat, ad eoſdem quæ ſubſequentur pertinere, ad quos præ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

cedentia ſcripta fuerint: niſi quis malit huius præſentis ſcripti collationem fieri, cum literulis, quas antea ad ipſos fortaßis dederit, de fide & operibus Dilectionis.

Scribo uobis filioli, quoniam remittuntur uobis peccata, propter nomen eius. Scribo uobis patres, quoniam cognouiſtis eum, qui ab initio eſt. Scribo uobis adoleſcentes, quoniam uiciſtis illum malum. Scribo uobis pueri, quoniam cognouiſtis patrē. Scripſi uobis patres, quoniam cognouiſtis eum, qui ab initio eſt. Scripſi uobis adoleſcentes, quoniam fortes eſtis, & uerbum Dei manet in uobis, & uiciſtis illum malum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Ad quos igitur, ſiue in alia aliqua, ſiue in hac epiſtola hactenus ſcripſerit, iiſdem omnibus, & quæ nunc ac deinceps ſcribat, diligenter & attentè legenda ſequendaq; hortatur & monet. Hactenus autem ſcripſerit Pueris, Adoleſcentibus & Senibus, in quos ætatum, ſiue ordines, ſiue gradus quosdam inſigniores, omnes hominum cœtus diuiduntur: iis igitur omnibus, pueris, adoleſcentibus & ſenibus, ſe ſcribere, & quæ ſcribat, ad eosdem omnes ſpectare ac pertinere docet. At primi ætatum gradus, ſicut duas hic appellationes ponit, Filiolorum & Puellorum, ita earum duas etiam rationes, huius ætatis moribus conuenientes, adſcribit. Sicut enim à filiolis uſum rationis nondum habentibus, patres barbam uellicari, & alia multa ferunt, ipſisq; condonant: natu uero grandiores filios ob peccatum aliquod abdicatos, eo condonato, in locum & numerum filiorum recipiunt: ita quos Deus, remiſsis peccatis per fidem in Chriſtum, adoptat, rectè ob id filioli dicuntur. Puelli autem ideo, quod cognorint patrem cœleſtem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Patres enim maxime delectantur, cum ipſos ſui pueri primum agnoſcere, ipſiſq; arridere cœperint. Laus autem prudentiæ & antiquitatis notitia, quoniam fermè propria eſt ſenilis ætatis: quapropter agnoſcentes eum, qui fuit ab initio, quo nihil antiquius, patres appellat. Ad debellandos uero hoſtes, quoniam uirium robore ætas iuuenilis excellit: quare qui per fidem in Chriſtum Diabolum potentiſsimum hoſtem ſuperarunt, Adoleſcentulorum nomine uocat.

Quanquam autem unicuiq; credentium in Chriſtum, ſicut omnes illæ rationes optimè conueniunt, quas ſingularum ætatum appellationis, hîc Apoſtolus aſsignat, quilibet enim in Chriſtum credentium, nouit illum, qui eſt ab initio, cuilibet eorum peccata propter Chriſtum remittuntur, quilibet uicit illum Malum: ita pro diuerſitate harum rationum Pueri, Patres & Adoleſcentes recte ſinguli appellantur, quemcunq; tandem annorum numerum uiuendo attigerint. Tamen nihil obſtat, quo minus & de uitæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

humanæ, & de Chriſtianæ fidei ætatibus, Apoſtolum loqui intelligatur. Nam ſuam etiam pueritiam habet fides, pueritiam ſequitur adoleſcentiæ robur, hanc excipit maturitas ætatis ſenilis. Epheſ. 4. Dedit dona, inquit, hominibus, alios quidem Apoſtolos &c. donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenè adultæ Chriſti, ut non amplius ſimus pueri, qui fluctuemus & circumferamur, quouis uento doctrinæ &c. Et in hoc ſenſu, cùm ſe dicit Pueris, Patribus & Adoleſcentibus ſcribere, omnibus, ſiue parum, ſiue multum, ſiue mediocriter, in fidei doctrina profecerint, hanc epiſtolam legendam commendat. Secundum has fidei ætatum differentias, pueri ſæpenumero ſunt, grandeui alioqui ſenes. & contrà, paucos annos nati pueri, ſunt fidei maturitate reuerendi patres. Hi quantumuis breue temporis ſpatium uiuant, ſicut immatura morte præuentos obijſſe, cenſendum non eſt: ita ſi qui ueræ cognitionis Dei & Fidei Chriſtianæ expertes, mille annos uiuendo compleſſent, immatura morte præoccupatos deceßiſſe exiſtimandũ eſt. Cum

enim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

enim Dei & Filij ipſius Ieſu Chriſti cogno-ſcendi colendiq́; gratia, potiſſimum in hanc uitam naſcamur, qui puer uel adoleſcentulus ueram Chriſti fidem adeptus eſt, & in inuocatione Filij Dei Ieſu Chriſti obdormiſcit, etſi fortaſſis nondum ſatis uixerit alijs, ſibi tamen ſatis diu uixit. Qua de re inſignis eſt locus Sapien. 4. ubi dicitur. Senectutem honorificam non annorum numero conſtare, ſed uera ſapientia & uita immaculata.

Ad commendandam autem doctrinam Apoſtolicam, hic locus non incommode fortaſſis accipi etiam poterit, de uitæ humanæ ætatibus, quarum nulla non idonea eſt, ad addiſcendam & cognoſcendam doctrinam Apoſtolorũ. In alijs diſciplinarum generibus, multa remouentur à pueris, quæ adultioribus & confirmato iudicio Viris cognoſcenda reſeruantur: quin etiam in eodem nonnunquam genere ſtudiorum multa cum ætate ſunt mutanda: At Apoſtolica doctrina, ſibi perpetuo eſt conſentanea in omnibus ætatum gradibus. Quanquam enim Apoſtolus 1. Corinth. 4. lactis poſtu non cibo ſe Corinthios aluiſſe ſcribit, hoc non ad doctrinæ, & rerum in ea tradendarum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

diuerſitatem, ſed ad adminiſtrandi docendiq́; modum eſt referendum. Quanquam enim aliter cum pueris, aliter cum adultioribus & profectioris ætatis hominibus agendum ſit, Idem tamen utriq; ſunt docendi. Ideo Moſes quæ Deo iubente Patribus tradiderat, eadem Liberis ipſorum inculcanda præcepit. Et Salomon Rex, commendaturus ſuas parabolas, ex æquo pueris, adoleſcentibus & ſenibus profuturas affirmat. Eſt enim hæc eximia laus doctrinæ cœleſtis, quòd omnibus ætatibus ſit accommodatiſſima. Hanc autem cœleſtis doctrinæ, & reliquarum diſciplinarum diuerſitatem, non tàm diſcentium quàm docentium diſcrimen conſtituit. Nam homines in tradendis Diſciplinis ſuis, non poſſunt ingenia diſcentium pro ſuo arbitratu fingere, ſed coguntur diuerſarum ætatum captui ſeſe attemperare. At Spiritus ſanctus uerus Eccleſiæ Doctor, non ſe diuerſo diſcentium captui, ſed ſeruata ſuæ doctrinæ ſimplicitate, Audientium & Diſcentium quorumlibet animos, doctrinæ ſuæ capaces reddendo, ſibi accommodat. Capaces autem reddit, non idem omnium ingeniis accumen largiendo, ſed omnes

pariter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

pariter ad Fidei obedientiam flectendo. Ad percipiendam enim Chriſtianæ fidei doctrinam magis opus eſt, uerbo Dei credendi humilitate, quàm ſubtilitate ratiocinandi, Rom. 1. Per Chriſtum accepimus gratiam, et muneris Apoſtolici functionem, ut obediatur fidei inter omnes gentes. Hanc fidei obedientiam largienti Spiritui ſancto, nullius ætatis impedimentum obſtat. Quare cum Iohannes pueris, patribus & adoleſcentibus hîc ſcribit, omnibus ſine ullius ætatis exceptione, Fidei & dilectionis doctrinam addiſcendam ſeruandamq́; proponit, ſimulq́; ſubindicat, quibus nam rebus maximè, ſua cuiusq́; ætatis dignitas metienda Chriſtianis, & quæ diſparibus ætatibus præſtanda officia.

Pueri indolis ſuæ bonitatem exerant atq́; declarent, literarum, aliarumq́; rerum honeſtarum, in primis autẽ ſtudio cognoſcendi patrẽ cœleſtem, & per ueram fidẽ conſequendi peccatorũ remiſsionẽ in nomine Chriſti. Obiter enim repetit doctrinã ſuperius traditã de remiſsione peccatorum, quæ nobis à Deo patre, propter ſolum Ieſum Chriſtum, & per ſolam Fidem contingit. Senis perſonam honorandam, non

tam numerus annorum, & rerum ciuilium gerendarum prudentia, quàm filij Dei Ieſu Chriſti cognitionis ueneranda canities commendet. Adoleſcentes ualidis lacertis, nullas res magis arduas laude maiore geſſerint, quàm ſi cum potentiſsimo iuxta ac nocentiſsimo hoſte Diabolo decertent, ipſumq́; Chriſto auxiliatore ſuperent atq; deuincant. Pluribus enim peccandi occaſionibus obiectis, adoleſcentibus deijciendis Sathan acrius inſtat, nec ei præualidis in corpore uiribus reſiſti poteſt. Quare quibus armis non dubia ſpe uictoriæ adoleſcentes cum ipſo fortiter congrediantur, breuiter etiã admonet. Quia fortes eſtis, inquit: non enim ignauia, multo minus deditione tantus hoſtis uincitur, ſed reſiſtendi fortitudine. Huius autẽ fortitudinis robur ſitum eſt, in inuicta uirtute diuini uerbi, quod in Chriſtiani militis πανοπλίᾳ deſcribenda, gladium Spiritus uocat D. Paulus Epheſ. 6. Idcirco cum dixiſſet, Scribo uobis adoleſcentes, quoniam fortes eſtis, hanc ipſorum fortitudinis rationem adiecit, Et uerbum Dei manet in uobis, hoc quoniam ignita Diaboli tela extinguuntur, ac uiolentiſsimi inſultus ſuſtentãtur, de certa ui-

ctoria

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ctoria poſtremo ſequitur. Et uiciſtis illum malum: ſic Diabolum uocat, quod autor & inuentor ſit omnis mali, ſicut mox audiemus in ſequentibus. Quare pergamus ad illa, & ad inſtitutum cum Apoſtolo redeamus.

Ne diligatis mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo, uelut concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & faſtus uitæ, non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit & concupiſcentia eius. Qui autem facit uoluntatem Dei, manet in æternum.

IN tradenda fidei & dilectionis doctrina, priorem fidei, poſteriorem locum dilectioni attribuerat, in hac uero præmonitione de ca-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

uendis ijs, quæ Fidei & dilectionis ſynceritati aduerſantur: permutato ordine, de contrarijs dilectionis prius, poſterius uero, uſq; ad Capitis finem, aget de corruptelis doctrinæ Fidei. Quid igitur uero & ſyncero Dei amori maximè repugnat? Amor mundi & eorum, quæ ſunt in mundo. Quod nõ de hac mundi machina, & rebus in ea à Deo conditis accipiendum eſt. Quanquàm enim, ne hoc quidem totius mundi magnificentiſsimum opificium cum ſuo ornatu magis ſit diligendũ, quàm admirandum, eiusq; admiratione ad opificem cognoſcendum, diligendumq; excitari debeamus: tamen hic mundum eum intelligit, à quo Diabolus princeps mundi denominatur. Mundus igitur ſunt homines ignorantes ueritatis, & omnia talium hominum ſtudia, quibus huius mundi uoluptatum illecebris capti, non diuinæ uoluntatis beneplacito, ſed Diaboli deſiderijs obſequuntur. Ne igitur hunc mundũ diligamus, ipſiusq; concupiſcentiam ſectemur, duabus grauiſsimis rationibus nos permouere ſtudet, prior.

Si quis diligit mundum, nõ eſt

patris

patris charitas in eo, &c.

TAnta eſt repugnantia inter amorē Dei & Mundi, ut utriuſq; amore ſimul nemo teneri poßit. Sicut Chriſtus ſaluator noſter, Matth. 6. ait. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget: aut huic adhærebit et alterū negliget. Quicunq; igitur mundum diligit, Deum diligere nequit, atq; utriuſq; Dei & Mundi amoris ſummam contrarietatem enumeratione eorum declarat, circa quæ mundi concupiſcentia uerſatur. Nam qui mundum diligit, aliquid eorum quæ ſunt in mundo, diligere neceſſe eſt: In mundo aūt ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & uaſtus uitæ, cum quibus non poteſt Deus ſimul diligi. Nā diligere Deū non poteſt, qui diligit ea, quæ nō ſunt ex Deo, Deumq; autorem non habent. Illa enim quia bona non ſunt, ſed mala, autoremq; Diabolum referunt: nemo igitur illa ſectari poterit, quin Diabolum eorū autorem amore etiam proſequatur & colat. Quare mirum uideri nō debet, ſi cum mundi amore, Patris amor tantopere pugnare dicatur, ut ſimul conſiſtere nō poßint.

Non autem hic caro, nec oculi, nec uitæ genus aliquod à Deo inſtitutum damnatur, ſed eorum tantum concupiſcentia. Ac concupiſcentiæ hac tripartita diuiſione, omnes mundi illecebras comprehendit, quibus Sathan homines illaqueare, & à uero Deo diligendo colendoq; retrahere nititur. Per concupiſcentiam carnis, generali quidem ſignificatione, omnia nonnunquã naturæ corruptæ uitia intelliguntur, Gal. 5. Concupiſcentiam carnis ne perfeceritis. Hoc loci uero, concupiſcentiæ carnis uocabulo, uagas libidines, ſcortationem, adulterium, ebrietatem, crapulam, & omnes eiuſmodi beluinas & illicitas uoluptates uentris, & eorum, quæ ſub uentre ſunt. Concupiſcentia uerò oculorum, hîc non libidinoſos aut adulterinos aſpectus, qui ad carnis concupiſcentiã referuntur, ſed ea peccata maxime ſignificat, quibus præter oculorum oblectationem parum uoluptatis ſentitur. Cuius generis eſt auaritia, & opum immenſa cupido, & quæ huic ſunt cognata uitia, per fas nefasq; accumulandi diuitias. Ex quibus fructum, quem maximũ auari capiunt, oculis percipere, multi Poëtarum cecinerunt. Ob mentis igitur egeſtatem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

eſuriente auaro quoniã argenti & auri ſplendore ac denarij forma oculos paſcit, de auaritia & mammonia iniquitatis, concupiſcentiam oculorũ interpretamur. Vaſtus uitæ appellatione, ſuperbiam, ambitionem, nimiam honorum, gloriæ & potentiæ cupiditates deſignat. Ad hæc tria concupiſcentiæ genera, tanquam ad capita reliquorum omnium uitiorum, nõ perperam & inepte mihi facere uidentur, qui enarrationem tentationis Chriſti in deſerto accõmodant, Quæ Chriſtus ipſe ſummatim complexus etiam uidetur, Luce 21. Cauete autem uobis ne corda ueſtra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius uitæ. Hæc etiã peccata ſibi obſtare patiebantur, qui inuitati ad cœnam magnam, comparere noluerunt: ex quibus ſatis proſpicitur, Mundũ ſimul & Deum diligi à nobis non poſſe. Neq; id nos facere debere, hæc poſterior ratio etiam docet.

Et mundus tranſit &c.

QVid ſtultius eſt, rebus caducis, & horæ momento periturus, amore inhærere, cumq; illis ſimul interire? Quid aũt

ſapientius,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſapientius, quàm in futurum ſibi, ſuæq́; perpetuitati conſulere? Mundum autem tranſire cum ſua concupiſcentia, mundus ipſe tacitus clamitat, & Eccleſiaſtes mundanarum rerum uanitatem graphice depingit: hoc igitur tranſeunte, ubi ſuos amatores relinquit, qui ſedem ſibi in mundo fixerant, ſeq́; totos mundi concupiſcentiæ dederant? Qui uero facit uoluntatem Dei, eoq́; ſe Deum diligere teſtatur, ſicut Deus eſt æternus, ita cum Deo in æternum permanebit. Quanquam enim perfecta non ſit noſtra obedientia, quæ legi Dei ex fide præſtatur, tamen ſicut perſonas noſtras Deus propter Chriſtum in gratiam recipit, & pro iuſtis habet per fidem, ita quæ ex hac fide noua mandatorum Dei obedientia proficiſcitur, per eandem fidem, ut ita dicam, iuſtificatur, ac pro perfecta acceptatur à Deo, ut non tantum in receptione noſtri in gratiam, ſed etiam in noſtrorum operum approbatione remunerationeq́;, omnis gloria ſoli diuinæ gratiæ perpetuo remaneat. Ne igitur mundo et mundanarum concupiſcentiarum infeſtationi cedamus, ſed contrà, Dei amorem, obſeruatione mandatorum eius, fortiter tueamur, Apoſtolus

lus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

lus oſtenſa Dei amoris perpetuitate nos etiam permouere uoluit.

Filioli, nouiſſimum tēpus eſt, & ſicut audiſtis quod Antichriſtus uēturus ſit, etiā nunc Antichriſti multi cæperunt eſſe: unde ſcimus nouiſſimum tempus eſſe. E nobis egreſſi ſunt, ſed nō erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permāſiſſent utiq; nobiſcum. Sed ut manifeſti fierent, quod non ſint omnes ex nobis.

OStenſis igitur, quibus Dei dilectionis ardor extinguitur, iam nunc, quibus ueræ & ſynceræ fidei firmitas, niſi prouiderimus, labefactetur, paucis etiam exponet: atq; omiſſa longiore commemoratione errorum cum uera Chriſti fide pugnantium, ad eos omnes deuitandos, ab eorum autore Antichriſto nobis cauendum eſſe, potiſsimum nos præmonet. Antichriſtus enim, etſi omnes fermè

ordina-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ordinationes Dei ſit turbaturus, à cibis enim abſtinere iubebit, matrimonia contrahere prohibebit, Magiſtratum pedibus conculcabit, & multa alia Dei mandatis contraria inſtituet & faciet: Inprimis tamen doctrinam cum Euangelio, cum uera fide & agnitione Chriſti, de conſequenda remiſsione peccatorum pugnantem, excogitabit, ac ſumma tirannide propugnare non deſinet. Contra hanc igitur capitalem Antichriſtianæ doctrinæ impoſturam, Iohannes nos præmonendos eſſe duxit, & ad eam cauendam, Antichriſtum non tantū certò uenturum eſſe prædicit, ſed iam adueniſſe etiam monſtrat. Deinde qua arte inſtructi, peſtilentem Antichriſti doctrinā deprehendere, & contra eius contagionem nos munire poſsimus, indicat. Tertio ad eam artem retinendam, & contra Antichriſtum exercendum nos cohortatur. Ex his tribus præmonitionis ſuæ partibus, primam Apoſtolus præcedentibus uerbis tractat: quæ cum ſint aliquanto inuolutiora, harum quatuor quæſtionum explicatione planiora, ut ſpero, reddentur. Quarū prima hæc ſit, an omnino ſit uenturus Antichriſtus? ſecunda, unus ne ſit Antichriſtus, an ue-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ro plures? tertia, quodnam tempus ſit aduentus Antichriſti? quarta, unde originem ſit ductụrus, quouè loco regnaturus Antichriſtus? de quibus ordine paucula quædam, ad hunc locum rectè intelligendum, ſunt dicenda.

De certitudine aduentus Antichriſti, clariſsima in ſcripturis extant uaticinia, Danielis prophetæ, Chriſti domini, & D. Pauli Apoſtoli. Daniel enim 8. & 9. cap. uaticinatur de Rege quodam impudente & uerſuto, qui, permittente Deo, ſupra modum uaſtaturus ſit populum Dei. quæ etſi de Antiocho Epiphane à Daniele prædicta fuiſſe, euentus temporibus Machabeorum comprobauit: ſpiritus tamen per Prophetam, non ſolum de illa iam olim præterita perſecutione Antiochi, ſed & de futura uaſtitate Eccleſiæ per Antichriſtum inuehenda, pios monere uoluit: cuius Typum fuiſſe Antiochum, ex eo manifeſtum fit, quòd Paulus 2. Theſ. 2. non ſolum iiſdem notis, ſed iiſdem prope uerbis etiam Antichriſtum nobis depingit, quibus Daniel in deſcribendo populi Dei hoſte Antiocho, uſus eſſe legitur. Ac de Antichriſti certiſsimo aduentu, ne dubitemus, D. Paulus ad Theſſalonicenſes,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

negat aduenturum eſſe Dominum Ieſum, niſi prius uenerit defectio, & reuelatus fuerit homo ſceleratus, filius perditionis, qui eſt Antichriſtus. ſi enim non ueniet Dominus, antequàm fuerit in mundo Antichriſtus, certiſsimus autem Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentus expectatur: nihilo igitur incertior erit aduentus Antichriſti, qui aduentum Saluatoris neceſſariò eſt præceſſurus. Quapropter Matth. 22. Chriſtus à diſcipulis interrogatus, de ſigno ſui aduentus reſpondet, ſurrecturos Pſeudochriſtos & Pſeudoprophetas, ac tanta daturos ſigna & prodigia, ut in errorem inducerentur, ſi fieri poſſet, etiam electi. Antichriſtum cum tota ſua factione deſignat: hîc enim erit ſignum proximè præcedens illuſtrem Chriſti aduentum, quo quoniam abolendus eſt Antichriſtus, ipſum prius aduieniſſe oportebit. Quare de certo Antichriſti aduẽtu Iohannes eos, ad quos ſcribit, hæc audiuiſſe ac cognita habuiſſe dicit, audiuiſtis, quod Antichriſtus uenturus ſit.

Vnus uero, an plures ſint Antichriſti, ſi quæratur, Daniel & Paulus ita ſuam orationem de Antichriſto formarunt, ut unius

peſsimi

peßimi hominis perſona deſcripta uideri poſ-
ſit: ueruntamen non ſentiunt, Antichriſtum
unum fore & ſingularem hominem, cum quo
uno oriatur & accidat Antichriſti poteſtas.
ſed unum quoddam multorum impiorum reg-
num in Eccleſia prænuntiant, in quo Tyran-
nus ſit unus, qui ordine ſucceßionis futuri ſunt
plures. Cum igitur de Antichriſto in ſingu-
lari numero loquuntur, totum Antichriſti
corpus, caput ſimul cum omnibus membris in-
telligunt: ſed quæ ſtabilito demum ac confir-
mato regno Antichriſti numerentur, ſeclu-
ſis iis aduerſariis Chriſti, qui ueluti priuati
Antichriſti, nondum per Antichriſtum publi-
ce occupato in Eccleſia regno, Chriſti do-
ctrinæ contradicunt, & ab ea deſciſcunt, id
quod ex Paulo colligere licet, is enim negat
uenturũ dominum, niſi prius uenerit defectio.
Quomodo dicit expectandam defectionem,
quam Hymenæo & Alexãdro & multis aliis
deficientibus iam ueniſſe conſtabat? Quia
Apoſtaſian non intelligit Apoſtolus, de
priuata paucorum defectione à uera Chri-
ſti fide, maxima interea parte piorum illis
repugnante, ac retinente ueram fidem, &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

doctrinam in Eccleſia Dei: ſed uerba facit Apoſtolus eo in loco, de publica quadam defectione, quæ regnum occupante in Eccleſia Antichriſto, ſit uentura: quando paucis electis, uix diuino auxilio perſeuerantibus in uera agnitione filij Dei, reliqua uniuerſa multitudo, paſtores cum grege, Epiſcopi cum plebe, ab Euangelij doctrina, ad traditiones humanas, & doctrinas Dæmoniorum deficient: idq́; honeſto autoritatis & approbationis Eccleſiæ titulo. Iohannes igitur cum dicit, Audiſtis quòd Antichriſtus uenturus eſt, loquitur de Antichriſto regnante: cum uero ſubiungit: & nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe, loquitur de Antichriſto exoriente, hoc eſt, de priuatis illis piæ doctrinæ deſertoribus ac corruptoribus, qui ſerendis erroribus, ſeminarium quoddam erunt, Antichriſtianæ illius defectionis & Tyrannidis, quæ publica aliquando in Eccleſia Dei eſſet eruptura. Illos autem Antichriſtianæ Tyrannidis præcurſores, licet Paulus non appellet Antichriſtos, ſicut Iohannes facit, ad Antichriſtum tamen regnantem pertinere, ac iam tum, cum nondum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Antichriſtus regnaret, ipſos per hæreſes ueram fidei doctrinam corrumpendo, opus Antichriſti feciſſe docuit, ubi ait. Myſterium iniquitatis nunc agit. idem enim, quod Iohannes hoc loco dicit, Antichriſtos multos iam ueniſſe. Siue igitur Antichriſti nomine, de impio regno & principatu in Eccleſia conſtituto utamur: ſiue de priuatis Antichriſtis illis publicè regnantis præcurſoribus uſurpemus, non una unius hominis perſona, ſed totum ſimul regnum Antichriſti cum ſuis membris deſignamus.

Tempus aduentus Antichriſti Iohannes denotat, dicens. Nouiſsimum tempus eſt. Nouiſsimo igitur tempore ueniet Antichriſtus. Nouiſsimum autem tempus, totum illud curriculũ temporis ſignificat, quod inter primum & ſecundum Chriſti aduentum intercedit. Nam cum tempus durationis mundi, iuxta Eliæ Prophetæ ſententiam, ſex millibus annorum metiamur, duo poſtremi millenarij Chriſto & Euangelij ipſius prædicationi aſſignantur, ac nouiſsimum tempus eſſe dicuntur Hebre. 1. Multifariam, inquit, multisq́; modis olim Deus locutus eſt patribus per Pro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

phetas. *In extremis hiſce diebus, locutus eſt nobis per Filium.* Hoc tempus duorum millenariorum, diuidendum eſt in tres partes, quarum quælibet aliquanto plures quàm ſexcentos annos complectitur, ac generalis nouiſsimi temporis appellatio, ipſius etiam partibus nōnunquam tribuitur. Sic Iohannes ſua tempora uocat tempus nouiſsimum. Paulus uero 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 3. poſteriora & extrema tempora, non ſua, & primitiuæ Eccleſiæ dicit, ſed quæ futura erant media inter primam & ultimam partem nouiſsimi temporis. Si igitur quæritur, quo tempore Antichriſtus ſit uenturus in Mundum? Nouiſsimo tempore, quo & Chriſtus per Euangelium in mundo regnabit, rectè reſpondetur. Sed quanam nouiſsimi temporis parte? Hîc ut commode reſponderi poſsit, memoria repetenda ſunt, quæ paulò ante de Antichriſto naſcente, & regnante, & de duplici ipſius aduentu attigimus. Aduentus enim Antichriſti aliâs inchoationem, aliâs plenam poſſeſsionem Tirannidis in Eccleſia Dei ſignificat. Hoc obſeruato diſcrimine, quærentibus, quanam parte nouiſsimi temporis Antichriſtus ſit uentu-

rus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

rus, ſi de primis impiorum errorum autoribus, & primis Antichriſtiani regni Exordijs fit quæſtio, prima nouiſsimi temporis parte Antichriſtus uenit. Iohanne dicente. Etiam nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe. Sin de publica impiæ doctrinæ approbatione, deq; tota Antichriſtiani regni conſtitutione erectioneq; quæratur, circa initium mediæ partis nouiſsimi temporis ueniet Antichriſtus, & magna potentia, uſq; ad ultimam nouiſsimi temporis partem florebit: qua appropinquante, accendetur iterum atq; illuceſcet lux uerè piæ doctrinæ, qua poteſtas Antichriſti, in efficacibus impoſturis & mendacibus ſignis ſita minuetur. Quod reliquũ poteſtatis Antichriſtianæ in mundana potentia fuerit, celeriore Chriſti aduentu abolebitur. Hæc de tempore aduentus Antichriſti, uaticinia continere, euentus declarat, qui ex lectione & collatione hiſtoriarum optime huic temporis denotationi reſpondere cernitur.

Honeſtiſsimo autem loco naſciturũ Antichriſtum Iohannes his uerbis indicat. E nobis egreſsi ſunt. Eccleſia enim Chriſti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

erit quodammodo natale ſolum Antichriſti; egrediuntur autem ex nobis alij aperta abnegatione nominis Chriſti, alij deprauatione doctrinæ fidei, non autem illi, ſed hi propriè ſunt Antichriſti. Nam Antichriſtus nō eſt quilibet Aduerſarius & hoſtis Chriſti, qui nulla nominis Chriſtiani communione nobis ſit coniunctus, ut ſunt Iudæi & Turcæ. Sed Antichriſtus is dicitur, qui retenta Chriſtiani nominis & religionis profeßione, deficit à uera fidei Chriſti doctrina, & huic contrariam amplectitur & defendit. Itaq; è nobis egredi, nō ſignificat Iohanni deſerere profeßionem Chriſtianiſmi, ſed ea ſeruata amittere lucem ueræ doctrinæ, & huic contrariam pro Chriſtiana tueri. Qui uero locus eſt Antichriſti naſcentis, idem eſt & regnantis. Nam Thronum ſuum Antichriſtum collocaturum in Eccleſia Chriſti, D. Paulus ad Theſſal. clare oſtendit, dicens. Qui eſt aduerſarius, & effertur aduerſus omnem, qui dicit Deus aut numen, adeo ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe Deum. Templi enim Dei nomine, Eccleſia Dei intelligitur. Eccleſiæ autem appellatione non poteſt intel-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ligi cœtus eorum hominum, qui Eccleſiæ titulum aliquando quidem habuerit, ſed eum ſit regnante Antichriſto amiſſurus, ſed qui, regnũ tenente Antichriſto, uocabitur Eccleſia, adeo ut Eccleſiæ titulo & ipſius autoritatis prætextu, cœlum terræ, ſacra prophanis, Antichriſtus ſit permixturus, atq; uera & uiua Eccleſiæ membra crudeliſsime ſit perſecuturus. Ex his planum eſt, aduentum naſcentis & regnantis Antichriſti fuiſſe certiſsimũ. Nec Antichriſtum ſiue naſcentem ſiue regnantem, unam eſſe tantum unius hominis perſonam, ſed innumeras, inter quas tamen unus ſumma rerum potiatur. Et Antichriſtum quidem nouiſsimo hoc Chriſti tempore, ſed eius temporis parte prima, naſcendo, media regnando uenturum, ultima autem periturum eſſe. Naſciturum autem & regnaturum, non in ignoto & obſcuro aliquo, ſed illuſtri & præclaro loco, in Dei & filius ipſius Ieſu Chriſti Eccleſia. Quibus circumſtantijs de aduentu Antichriſti ita habitis atq; obſeruatis, nihil obſcuritatis ad intelligendum primam partem præmotionis contra Antichriſtum relinquitur: qua quidem probe intellecta, nobis ab Antichriſto me-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tuendum ac diligentiſsime cauendum eſſe iudicabimus. Is autem quis ſit, tametſi ex his circumſtantijs facile ſit conijcere, tamen quia in altera ſuæ præmonitionis parte nota apertiore nobis deſignabitur, ideo infra nominatim eum etiam exprimemus. Sed priuſquam ad alteram partem progrediamur, paucula quædam in priore adhuc explicanda ſuperſunt.

Nam de loco naſcentis & exorientis Antichriſti, cum dixiſſet. E nobis egreſſi ſunt, eo alicui ſcrupulum inijcere poſſet, de immota certitudine perſeuerantiæ & ſalutis eorum, qui, ſimulatq; in Eccleſiam Dei ingreſsi fuerint, in fidem & tutelam Filij Dei Ieſu Chriſti recipiuntur. Nam omne, ait, quod dat mihi Pater, uenit ad me, & eum qui uenerit ad me, non eijciam foras. Et iterum. Hæc eſt uoluntas eius qui miſit me, Patris: ne quos perdam ex omnibus, quos dedit mihi, ſed reſuſcitem eos in nouiſſimo die. Item, Oues meas non rapiet quiſquam de manu mea. Si igitur Chriſtus ſci-

ens

ens uolensq; ſuorum neminem eijcit, nec per incuriam & negligentiam perdit, nec ei inuito quiſquam eripi poteſt, nec ſint præter has ullæ aliæ, rem quampiam amittendi rationes: quomodo pro Eccleſia ſua & ſingulis eius membris, Chriſto uigilantiſsimas excubias agente, Antichriſti illi è nobis egreſſi eſſe dicuntur? Huic quæſtioni Apoſtolus his uerbis additis reſpondere uoluit. Sed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utiq; nobiſcum. At his uerbis obijciet quiſpiam: non tantum non expeditur, ſed magis inuoluitur quæſtio. quo pacto enim è nobis egreſſos eſſe affirmat, quos è nobis fuiſſe negat? Neq; enim abſurditate caret, è nobis egreſſos dici eos, qui è nobis nunquam fuerint. Si uero ex noſtro numero aliquando fuerunt, ad priorem difficultatem redit quæſtio: quo modo à nobis receſſerint, quos utiq; nobiſcum permanſuros fuiſſe aſſeritur? Ad hanc pugnantiam tollendam, ambiguitas erit diſcutienda locutionis, qua aliquis ex nobis eſſe uel fuiſſe dicitur. Nam è nobis primum illi eſſe dicuntur qui ſola externa

Chriſtianæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Chriſtianæ doctrinæ profeßione, & commu-nione Sacramentorum, ſpeciem pietatis, ut D. Paulus ait, præ ſe ferunt, ſed uim eius ab-negarunt. Deinde è nobis eſſe dicuntur, qui non modo externarum rerum communione, ſed & Spiritus efficatiæ, & Chriſti iuſtitiæ ac ſa-lutis participatione nobis accenſentur. Hoc diſcrimen hominum in hoc uiſibilis Eccleſiæ cœtu degentium, cùm alias ſæpe, tùm autem Matth. 3. oſtenditur, ubi Areæ Eccleſia comparatur, in qua tritico paleæ, uere pijs multi Hypocritæ ſunt admixti. Hos igitur quando à nobis receßiſſe dicit Apoſtolus, è no-ſtro numero antea fuiſſe equidem fatetur, alio-qui enim è nobis egredi non potuiſſent, Verũ quoniam non fuerunt è nobis ut triticum, ſed ut leues paleæ, ideo negat ipſos etiam è nobis fuiſſe. Nam qui abſq; interna uirtute & effi-cacia Spiritus, externa tantum Eccleſiæ ſi-gna habent nobiſcum cõmunia, è nobis eſſe uix dici merentur. Qui autem non ut paleæ inanes, ſed ut triticum è nobis fuerint, illi nobiſcum permanent: pro horum enim ſalute Chriſtus ſolicitam curam gerit, non quidem ſemper illos cuſtodiendo à peccato, ſiquidem certis de cau-

ſis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſis ipſos nonnunquam tentari à Diabolo, labi & peccare permittit, ſed ipſos ad pœnitentiam reuocando, ut à lapſu fortiores reſurgant, in finem uſq; deinceps permanſuri. Sic Petrus & Iudas fuerunt ex numero Apoſtolorum: ſed Petrus ut triticum, Iudas ut palea, utroſq; Deo promittente cribrauit Sathan, Petrus in Chriſti Domini ſui abnegationem, Iudas in ipſius proditionem excidit. Sed quia pro Petro Chriſtus uigilauit, & orauit, ne Fides eius deficeret, Petrus conuerſus & ſaluatus eſt, Iudas ſibi relictus, in pectato ſuo perijt.

Ex his alia quæſtio emergit, quonam pacto nunc multos è nobis egreſſos eſſe dicat, cnm repurgationem areæ, hoc eſt, bonorum & malorum ſeparationem, uſq; in conſumationem ſeculi differendam eſſe ſcripturæ teſtentur? Sed eodem ſe modo habet bonorum & malorum in Eccleſia ſeparatio, quo modo diuina iuditia in ſceleratos & blaſphemos exercentur. Quãquam enim in extremo die Deus ſupplicium ſit ſumpturus de omnibus blaſphemis & impijs, tamen particularia iudicia interim in ſceleratos nonnullos exercet, ut horum miſe=

rabili

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

bili interitu, reliqui admoneantur, quæ ipſos ſcelerum ſuorum præmia maneant. Ita expectatur quidem in nouiſsimo die futura, uniuerſalis omnium Hypocritarum à ueris & uiuis Eccleſiæ membris ſegregatio, ſed interea temporis particularis quorundam à nobis fit diſceſsio, qua tamen nihil detrimenti capit Eccleſia Dei. Illud enim ideo accidere Iohannes dicit. Vt manifeſti fierent, quod non omnes ſint ex nobis. Plurimum enim prodeſt, pios non ignorare, multos eſſe ſibi in hac uita admixtos Hypocritas, quorum defectione, non tantum de futura ipſorum ſeperatione à nobis, ſed etiam de ſtatu & conditione Eccleſiæ degentis & peregrinantis in hac terra admoneantur, ne uel Eccleſiam malorum admixtione carentem in his terris quæramus, quæ inueniri non poteſt, & ab ea, quæ ſola haberi poteſt, deficiamus, uel ſi ipſi non defecerimus, aliorum defectionis ac deſertionis leuitate nimium offendamur. Vult enim Deus quorundam defectionem, manifeſtum pijs eſſe documentum, non omnes qui Chriſto dicant. Domine, Domine, in nomine tuo Prophetauimus, Dæmonia eiecimus, & id genus alia,

cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

cum uerè in Chriſtum credentibus, fecimus, ingreſſuros uitam æternam, niſi etiam fecerint uoluntatem Patris qui in Cœlis eſt, qui nobis Chriſtum audiendum, inq; ipſum nobis credendum præcepit. Sed de prima præmonitionis parte ſatis.

Sed uos vnctionem habetis à ſancto illo, & noſtis omnia. Non ſcripſi uobis quaſi ignorantibus ueritatem, ſed tanquam ſcientibus eam, quodque omne mendacium ex ueritate nõ eſt. Quis eſt mendax, niſi is qui negat Iheſum eſſe Chriſtum? Hic eſt Antichriſtus, qui negat patrem & filium. Quisquis negat filium, is ne Patrem quidem habet.

Nullo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

NVllo non tempore ab Antichriſto, tanquam nocentiſsimo fidei & doctrinæ Chriſtianæ hoſte & predone cauendum eſſe, tametſi ad laqueos ipſius impoſturarum effugiendos, ſumme ſit neceſſarium ſcitu: nemo tamen facile pericula ab Antichriſto impendentia declinabit, ignarus earum rerum, quibus tanquàm ſignis Antichriſtus proditur ac manifeſtatur. Signa autē quæ manifeſtant Antichriſtū, partim à doctrina, partim ab ipſius uitæ conuerſatione ſumuntur: ſicut autem ſigna ſumpta ab examine doctrinæ, multo ſunt certiora, quàm quæ petuntur ab inſpectione ipſius uitæ, ita inter ſigna doctrinæ, ea certiora ſunt, quæ ad cognitionem Chriſti, quàm quæ ad prohibitionem ciborum, coniugij, & ad cæteras Dæmoniorum doctrinas pertinent. Sed quod eſt in doctrina indicium eiusmodi, quod nobis tanquam digito monſtret Antichriſtum? Eſt mendacium, quo Ieſus negatur eſſe Chriſtus. At hoc mendacium nemo poteſt depræhendere, qui contrariæ ueritatis de Chriſto fuerit ignarus, Huius autē ueritatis notitia non humani ingenij uiribus paratur, ſed Spiritus ſancti doctrina & reuelatione conſtat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

conſtat. Ideo Iohannes dicit: ſed uos unctionẽ habetis. Olei & unctionis uocabulis utitur ſæpè ſcriptura, pro Spiritu ſanctu, facta uerbi translatione, à figura ad rem figuratam. Oleum enim, quo Reges & Sacerdotes inungebãtur, Spiritus ſancti ſignificationem habebat: neq; enim Regiam, neq; Sacerdotalem functionem quenquam ſine Spiritus ſancti directione pro dignitate obire poſſe, ritu illo ueteris unctionis ſignificabatur. Spiritum aũt ſanctum non habemus à nobis, neq; à quoquam alio, quàm à ſancto illo: Chriſtum Ieſum, ſanctum ſanctorum in Scriptura appellatum intelligit. Is enim ſolus largitur credentibus Spiritum ſanctum, cui Deus non ad menſuram dedit Spiritum, Iohan. 3. Et quem unxit oleo lætitiæ, præ conſortibus ſuis. Pſal. 45. Neq; enim unquam largiendo exhauriri poteſt, quod ſine menſura in ipſum à Patre collatum eſt. Quanquam autem uaria ſint & multiplicia Spiritus ſancti in nobis per fidem habitantis, dona & officia, inter præcipua tamen numerantur, doctrina, qua nos introducit in cognitionem ueritatis: & conſolatio, quæ nos confirmat, ut agnitam ueritatem conſtan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ter retineamus, contra omnem Tyrannorum ſeuitiam, de quibus Chriſtus Iohan. 15. & 16. Cum autem uenerit, inquit, Paracletus, quem ego mittam à patre, Spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: & mox. Cum autem uenerit ille, qui eſt Spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem, hoc eſt, (quemadmodũ Chriſtus ipſe, in priore dicto interpratatus eſt) de me teſtimonium perhibebit, & eo teſtimonio uos ducet in omnẽ ueritatem, qui eſt Chriſtus Ieſus Saluator noſter: de cuius uera cognitione per Spiritum S. excitata in cordibus noſtris ait. Et noſtis omnia: de cognitione enim eorum omnium loquitur, quæ de Chriſto ſcitu nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria, & non niſi afflatu Spiritus S. ſcire poſſumus.

Cur autem non omnia illa particulatim hîc exponit, quibus uera Chriſti notitia continetur? Quia non ſcribo uobis, inquit, tanquam ignorantibus ueritatem, ſed tanquam ſcientibus. Si enim ignorantibus ueritatem ſcriberet, multis uerbis docendi eſſent, quibus partibus Chriſti uera cognitio conſtaret: ſed quoniam ſcientibus ueritatem ſcribat, ſatis eſſe Apoſto-

lus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

lus putat, ſine fuſiore Chriſti cognitionis tractatione, uno tantum uerbo doctrinam Spiritus ſancti antea acceptam per Apoſtolos, ipſis in memoriam reuocare. Hac igitur cauſa eſt, cur de cognitione ueritatis hîc breuius ſcribat: quia ipſi iam antea norint ueritatem: cognita autem ueritate, facile eſſe iudicium de mendatio. Nam quum ueritati contrarium ſit mendatium, contrariorum autem eadem ſit ſcientia: quare qui ueritatem nouerit, ſicut inter ueritatem & mendatium facile diſcernet, ita non minori negotio Antichriſtum deprehendet, qui mendax eſt, & non niſi mendatium, ueritati contrarium, docebit. Sic igitur fert natura rerum, ut qui ueritatem norint, mendacium contrarium, & eius autorem, ignorare non poßint. Quare ad cauendum Antichriſtum, opus eſt illum nouiſſe. Nemo aũt ipſum cognoſcet, niſi doctrinam ueritatis de Chriſto teneat. Quamobrem non eſt aliud præſentius remediũ, contra Antichriſtũ, quàm Spiritus S. doctrina in ſcripturis tradita, de filio Dei Ieſu Chriſto Saluatore noſtro.

Si igitur mendatium eſt nota certißima deprahendendi Antichriſtũ: quod nã eſt illud

mendatium? id nimirum, quod eſt omnium mendaciſsimum, quodq; non niſi mendaciſsimus loquetur. Porro autem, quis alius uanitate omnes mendaces longè ſuperat, niſi is, ait Apoſtolus, qui negat Ieſum eſſe Chriſtum: hæc eſt enim ſumma ac certiſsima ueritas, Ieſum eſſe Chriſtum. Ad fidem enim de hac ueritate nobis faciendam totam Euangelij doctrinam deſtinatã eſſe Iohan. 20. oſtenditur. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quòd Ieſus eſt Chriſtus, & ut credentes fidem habeatis per nomen eius. Hanc ueritatem ſuo mendatio Antichriſtus obruere ac ſepelire annitetur, quod alia ratione probat. Quia is eſt Antichriſtus, qui negat patrem & filium: ſed qui negat filium, is ne patrem quidem habet: ergo, qui negat filium, eſt Antichriſtus: Negat autem filium, qui negat Ieſum eſſe Chriſtum, ergo is eſt Antichriſtus: Quantum autem ſit mendatium Antichriſti, æſtimandum eſt ex cognitionis Chriſti ueritate: ea circa perſonæ & offitij Chriſti notitiã uerſatur. Nam Chriſtus eſt nomen perſonæ & offitij: perſonæ quidem, quæ ex duabus naturis, diuina & humana, conſtituatur, ac propter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*utriusq; naturæ unionem perſonalem, uerus ſit Deus & homo: offitij uero, quo eſt unicus me-
diator inter Deum & homines, ad promeren-
dam & impetrandam nobis peccatorum re-
miſsionem & uitam æternam. Mendatium igitur pugnans cum ſumma hac ueritate, Ie-
ſum eſſe Chriſtum, primum illi euomuerunt, qui diuinam in Chriſto naturam negarunt, ut Ebion & Cherintus, Arrius & Samoſa-
tenus: qui licet nonnihil inter ſe diſſentiant, diuinitatem tamen Ieſu Chriſti omnes ne-
gant. Marcion uero & Valentinianus, ue-
ritatem humanæ in Chriſto naturæ impugna-
runt. Pelagius autem, qui contra Dei & Chriſti redemptionis gratiam, uires liberi arbitrij propugnat, quid tandem Chriſti re-
demptionis & interceſsionis offitio relinquit? Sed hi tantum fuere priuati Antichriſti, qui hæc peſtifera dogmata contra perſonam & of-
fitium Chriſti ſparſerunt, nulla accedente approbatione Eccleſiæ, quæ ipſos tanquam hæreticos damnauit. At ſummus ille ac ma-
ximus Antichriſtus, regnans in Eccleſia, quis erit, qui neget Ieſum eſſe Chriſtum? qui in Eccleſia Dei, idq; Eccleſiæ autoritatis præ-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

textu ac Chriſti uicarij titulo, hoc mendatium effutiet: eo quòd præter Chriſti ſacrificium pro peccatis in cruce peractum, nouum aliud ſacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum excogitat: quòd nundinationes indulgentiarum exerceat: quòd expiandis peccatis, proprias ſatisfactiones hominibus imponit: quòd Chriſto unico Aduocato & Mediatori noſtro apud patrem, homines, uita functos, ſubſtituat, ipſiq́; quaſi deficiēti ſubſidiarios quoſdam Patronos adiungat: quòd Chriſti inſtituta mutandi, ac noua inſtituendi licentiā ſibi ſumat. Hæc atq; his ſimilia contra Chriſti Saluatoris noſtri officium qui dicat et faciat, atq; ab ipſo diſſentientes nō modo non ferat, ſed immani crudelitate perſequatur & trucidet: is, an non negat Ieſum eſſe Chriſtum? is an nō ſummus & maximus erit Antichriſtus? Quem tametſi ego nominatim non exprimam, nemo tamen piorum non animaduertit eſſe Pontificem Romanum, quem Papam dicimus: in quem occupatæ Tyrannidis loci & temporis circumſtantiæ ſupra recitatæ, ac reliquæ omnes notæ exactiſſime quadrāt, quibus prodigioſum hoc monſtrū, à Spiritu S. in ſcripturis deſcribitur.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Nam licet minus circa Chriſti perſonam doctrina Papiſtica erret, non tamen uideo in quem uſum diuinam & humanam in Chriſto naturã confiteantur, detracto interim Chriſto officio, quod non niſi Deus & homo præſtare potuit. Ideo duplo Arrio & Marcione peiores ſunt, qui diuinam & humanam in Chriſto naturam confitentur, & earum officio non utuntur. Deinde, purior eſt etiam doctrina Papatus, quod ad unitatem diuinæ eſſentiæ, & Trinitatem perſonarum attinet. Ideo ſi is eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium, Papa cum toto ſuo ſatellitio, non poterit haberi pro Antichriſto, Confitetur enim Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, unum & uerum eſſe Deum. Sed ut hoc maximè concedamus, non tamen propterea non erit Antichriſtus. Neq; enim Iohannes tantũ de Patris & Filij negatione loquitur, ut ſunt diſtinctæ perſonæ in una diuinitatis eſſentia, alioqui addidiſſet & Spiritum ſanctum: quas tres perſonas Trinitatis qui negant, certè membra ſunt Antichriſti. Sed Iohannes ſolius Patris & Filij mentione facta, de ea negatione

ne Patris & Filij loquitur, qua contra ſcopũ
Euangelicæ doctrinæ negatur, Deum nobis
eſſe reconciliatum, & propitium Patrem red-
ditum, per unigeniti Filij ſui mortem, & in-
terceſsionem pro nobis. Cui ſententiæ hæc etiã
Apoſtoli uerba ſuffragantur. Qui negat Fi-
lium, is ne Patrem quidem habet. Patrem
enim habere dicitur, non qui confitendo Fili-
um, Patrem, primam etiam perſonam confite-
tur in Trinitate, Sed qui credendo & confi-
tendo, Ieſum eſſe Chriſtum, habet Deum pro-
pitium. Hoc enim Chriſtus ſolus ſua morte &
interceſsione pro nobis, effecit. Vt maximè
igitur aliquis confiteatur Patrem & Filiũ
& Spiritum ſanctum, tres eſſe diſtinctas per-
ſonas in una diuinitatis eſſentia, neget autem
Patrem & Filium, eo ſenſu, quo à Iohanne
hîc ſcribitur, hoc eſt, neget Ieſum eſſe Chri-
ſtum, unicum Aduocatum noſtrum apud Pa-
trem, & propitiationem pro noſtris, ac totius
mundi peccatis, Et neget Deum propter ſo-
lum Filium, per ſolam Fidem, nobis eſſe pla-
catum, ac paterno animo erga nos eſſe affe-
ctum: is eſt uerè Antichriſtus. An nõ igitur
negat Ieſum eſſe Chriſtum, qui alios aduoca-

tos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tos inuocandos, aliam propitiationem pro peccatis quærendam docet, quàm ſolũ Chriſtum? An non Patrem negat, qui iubet credentes dubitare de Dei erga ſe gratia: & hanc dubitationẽ, qua Deus mendatij arguitur, humilitatem uocat, certam uero diuinæ gratiæ in Chriſto promiſſæ fiduciam, præſumptionem & ſuperbiam anathemate dignam iudicat. Hoc autem facere Papam, manifeſtius eſt, quàm ut probatione egeat. Ipſum igitur Antichriſtum eſſe, Iohannes pronunciat atq; proclamat. Hæc de cognitione ueritatis, in quam nos Spiritus ſanctus, doctrina uerbi Dei introducit, nosq; ſimul inſtruit, ut per ueritatem mendatium, per mendatium Antichriſtum agnoſcere poßimus, atq; agnitum cauere.

Vos igitur quod audiſtis àb initio, in vobis permaneat: ſi in uobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis. Et hęc eſt repromiſsio, qua ipſe pollicitus eſt nobis vitam æter-

nam. Hęc ſcripſi uobis de his, qui ſeducunt vos: Et vnctio quã vos accepiſtis ab eo, manet in vobis. Et non neceſſe habetis, vt quiſquam vos doceat: ſed ſicut vnctio docet vos de omnibus, & verax eſt, & non eſt mendatium: & ſicut docuit uos, manete in ea: & nunc filioli, manete in eo, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non pudefiamus ab eo in aduentu eius.

IN hac tertia & poſtrema parte præmonitionis contra Antichriſtum, Apoſtolus cohortatur nos, ad conſtantiam, in uera Fide, & ſyncera fidei doctrina retinenda: ne nos ab ea dimoueri ullo modo patiamur. Nam cum Antichriſtus ſe, ſuosq; dolos & fraudes doctrina Spiritus ſancti, quæ ſacris literis eſt comprahenſa, detegi, facile ſit intellecturus, omnes certè ſacrorũ Bibliorum libros exuſtos cuperet,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

cuperet, ſed quo minus incendio tradat, cohibebitur hoc ſuo incō modo. Aperta enim reiectione Scripturarū, ſe, qui non uult uideri, Dei & Chriſti hoſtem eſſe proderet. Nequid tamen Scriptura ipſius conatibus obſtet, Scripturam ſacram autoritati Eccleſiæ ſubijciet. Ius interpretandi Scripturas reuocabit ad Eccleſiam, cuius ipſe ſit Caput. Atq; hæc mira erit Antichriſti aſtutia, qua eos ſcripturæ locos, qui ad Tirannidem eius ſubuertendam potiſsimum ualent, ipſe ad eam ſtabiliendam ſua interpretatione detorquebit. Quin & multa extra Scripturas, titulo reuelationum Spiritus ſancti, credenda ac ſeruanda præcipiet. Contra hanc Antichriſti technam nos etiam Apoſtolus cōmunire uoluit, dicens. Quod igitur audiſtis ab initio, in uobis permaneat &c. Quibus uerbis doctrinam Spiritus ſancti, Apoſtolorum ore prædicatam, & ipſorum manibus conſcriptam, ſolam recipiendam, conſeruandamq; eſſe monet. Hanc enim audierant ab initio, de Chriſto filio Dei, unico mediatore noſtro, propter quem credentibus placatus & reconciliatus eſſet Deus. Diuerſa eſt enim ratio doctrinæ cœleſtis & reliquarū

artium.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

artium ac diſciplinarum, quæ homines habent autores. Harum enim initia fuerunt tenuia, quæ hominibus ſubinde proficientibus, magis magisq; excolebantur, donec ad quoddam quaſi perfectionis faſtigium proueherentur. Verbi autem Dei doctrina, à primo ſtatim reuelationis initio integra fuit à Chriſto & Apoſtolis, per Spiritum ſanctum tradita. Non enim Spiritus ſanctus, cuius inſtinctu locuti ſunt Prophetæ & Apoſtoli, aliquid ignorauit, quod ſicut homines proficiendo addiſceret, ac perficiendæ doctrinæ ſuæ poſtea adijceret. Hac enim abſoluta perfectione, uerbi Dei doctrinam, omnibus alijs doctrinarum generibus antecellere, Deus ipſe Deut. 4. teſtatur. Ad uerbum meum, inquit, quod ego loquor uobis, nihil addetis, nihil item auferetis ex eo. Ea eſt enim perfectionis ratio, qua rei perfectæ neq; adimi neq; adijci quicquam poteſt. Huiuſmodi autem cũ ab initio fuerit doctrina Apoſtolica, hanc igitur ut primũ ab Apoſtolis fuit literis mandata, ſimpliciter retineamus, atq; in ea perſiſtamus, & ut id faciamus, hac moueamur ratione, quæ ſequitur. Si in uobis permanſerit &c. hæc enim utilitas

tenaciter retentæ doctrinæ Spiritus, ad nos redibit, quod in patre & filio manebimus, nec ulla Antichriſti machinatione ab ipſis diuellemur. Eximia hæc eſt laus ueræ doctrinæ, quòd ea ſit uinculum arctiſsimum, quo ita cum patre & filio copulemur, ut nunquam ab ipſis ſeiungamur. Quam quidem coniunctionem noſtrã cum patre & filio, ne leuiter ducamus, addit. Et hæc eſt promiſsio, qua ipſe pollicitus eſt nobis, retinentibus uidelicet ueram doctrinam & permanentibus in patre & filio, uitam æternam. Qui perſeuerauerit uſq; in finem, ait Chriſtus, hic ſaluus erit. Et iterum, Beati, qui audiunt ſermonem Dei, & cuſtodiunt illum.

Hæc ſcripſi uobis de his qui &c. Epilogus huius loci, in quo reddit rationem cur aliquanto breuius nũc ſcripſerit, quàm pro magnitudine rei & periculi, quod à ſeductoribus pijs imminet. Hæc paucula cur ſcripſit? Quia unctio quàm à Chriſto acceperint, maneat in ipſis, Quia Spiritum S. doctorem habeant in ipſis manentem: ac propterea, cum iam antea ſatis ſint inſtituti, non opus habere, ut quisquam in ipſis erudiendis multum laboret, ſed tantum

paucis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

paucis admonendos eſſe innuit, ut in doctrinæ ſpiritus antea tradita permaneant. Sicut aũt ipſe Spiritus, non eſt mendax, ſed uerax, ita doctrina Spiritus non eſt mendatium, ſed ueritas, qua, ut dictum eſt ſuprà, mendatium cognoſcitur, Quare in ea doctrina Spiritus eſſe manendum: in qua qui maneant, illos etiam in Chriſto manere, paulò ante audiuimus. Hoc enim præcipuè docet Spiritus, quomodo per fidem Chriſto inſeramur & in eo permaneamus. Qui autem in Chriſto permanſerint. fiduciam habebunt in ipſius aduentu, nec pudefient ab eo. Certum prædicit aduentum Chriſti. Ad ipſius aduentum ita præparare nos debemus, ut hilari uultu in conſpectum eius prodire poßimus: id fiet, ſi ſeruata doctrina Spiritus, in Chriſto manſerimus. Ita Apoſtolus commendatione Apoſtolicæ doctrinæ hunc locum de Antichriſto, & ſeductoribus concludit.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

CAPVT III.

SI ſcitis, quod iuſtus eſt, ſcitote quod omnis qui facit iuſtitiam, ex eo natus eſt.

DIVVS PAVLVS Philippenſibus ſcribens, Eadẽ ſcribere uobis, inquit, me quidem haud piget, uobis autem tutum eſt. Docenti ſimul & diſcenti, eorundem crebra repetitio, plerunq; ſolet eſſe faſtidio. In tradenda uerò pietatis doctrina, res eaſdem ſœpius inculcari, neq; docentibus, neq; diſcentibus moleſtiam afferre debet. Nam docentibus cùm gloria Chriſti, & ſalus hominum ſit propoſita, quarum ſi ſeria cura & ſolicitudine tanguntur, eandem ſalutis doctrinam ſœpè ac multum repetendi, ingerendi, inculcandi ſtudio & labore defatigari non poſſunt. Diſcentes uero, ſi doctiores, quàm ut eadem ſœpius audiendo erudiantur, firmiores, quàm ut corroborentur, ad maiorem tamen

ſecuritatem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſecuritatem, contra inſidias Pſeudopropheta=
rum profuerit, non faſtidire ſæpè repetitam
uerbi Dei doctrinam. Nam faſtidium docen=
di, ſiue audiendi ſæpius eandem uerbi Dei do=
ctrinam, nouæ alicuius & peruerſæ doctrinæ
corruptelis nos decipiendi feneſtram aperit.
Poſtquam igitur Apoſtolus noſter duobus
præcedentibus Capitibus doctrinam Fidei &
dilectionis tradidiſſet, ſimulatq; monſtraſſet,
quibus cauendis, & ueram fidem & ſynceram
dilectionem retinere, ſicq; cum Deo Patre &
Filio eius Ieſu Chriſto, ſocietatem & amici=
tiam colere tueriq; poßimus, licet nihil magni
momenti ſupereſſet, quo prioribus addito, lon=
giorem Epiſtolam faceret, tamen ut animo,
Chriſti gloriæ & hominum ſalutis ſtudio fla=
granti, morem gereret, & addiſcentium pro=
fectui, eorumq; qui profeciſſent ſecuritati con=
ſuleret, eandem deinceps Fidei & dilectionis
doctrinam, & utriuſq; corruptelarum cauen=
darũ admonitionẽ non piguit repetere. Quare
& noſtrarum partiũ erit, in illis diligenter &
aßiduè relegendis, reuoluendisq; nõ defatiga=
ri. Ac primum quidem charitatis & bonorum
operum ſtudium denuo nobis cõmendat, dicens.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Si ſcitis, quod iuſtus eſt, ſcitote quod omnis &c.

FIlij Dei non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri: ſed ex Deo naſcuntur, per fidem in unigenitum filium Dei. Iohan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ab hoc igitur fidei effectu, quo filij Dei naſcuntur, bonorum operum ſtudium nobis commendat. Filios Dei, à paterna uirtute quàm minimum degenerare decet, ſed patrem honeſtate morum, & uitæ ſanctimonia debent exprimere. Si igitur ſcitis, inquit, quod iuſtus eſt, &c. quod de Patre, & ipſius etiam filio Ieſu Chriſto, ignorare non poteſtis, Iam enim diximus Ieſum Chriſtum Aduocatum noſtrum eſſe iuſtum, patrem item in remittendis peccatis noſtris fidelem eſſe & iuſtum. Non ſolum autem Pater iuſtus eſt, ea iuſtitiæ ratione, qua promiſſa fideliter ſeruat, ſed ea iuſtitiæ ratione, quæ omnes in ſe uirtutes complectitur, ſecundum quam iuſtitiam ipſum nũc iuſtum dicimus. Qui igitur Deum hoc modo iuſtum eſſe ſciunt,*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſcire etiam debent, eos demum uerè ex Deo natos eſſe, qui iuſtitiam faciunt, hoc eſt, omnia opera iuſtitiæ, ſecundum Dei & proximi dilectionem, & ſecundum omnia præcepta diuinæ legis: qua Deus formam quandam uidendæ & imitandæ iuſtitiæ ſuæ exhibuit nobis, qui tanquam ueri filij ipſius haberi uolumus. Non tantum autem ex Deo iuſto naſcendi conditio, iuſtitiæ ſtudium nobis ingenerare debet, ſed etiam gratitudo erga Deum patrem, qui filiorum loco nos habere dignatur.

Videte, qualem charitatẽ, dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur.

FIliorum Dei conditio & dignitas eſt excellentiſſima, ſumma enim beneuolentia filios ſuos Deus complectitur, ipſosq; hæredes uult eſſe omnium æternorum & cœleſtium bonorum. Rom. 8. Nec quiſquàm hominum reperitur, qui filiorum Dei dignitatem uerbis poſſit eloqui: hæc tanta dignitas, ad quam nos cœleſtis pater indignos euexit, magnitudinem paternæ erga nos charitatis declarat.

Ad

Ad hanc igitur propius aſpiciendam ac diligentius expendendam nos exhortatur, ut eius cogitatione ad Deũ & confratres noſtros diligendos etiam excitemur. Per charitatẽ nobis datam, intelligit Titulum illum inſignem et non inanem, quo filij Dei nuncupamur: ſic enim Iohannes charitatẽ dicit nobis dari, ſicut dicit nos facere iuſtitiam, hoc eſt, opera iuſtitiæ. Quodq; charitatem nobis dicit dari, eo filiorũ Dei dignitate nobis conceſſam, ſignificat non eſſe noſtrorum meritorum præmium, ſed ſummæ erga nos dilectionis Dei, gratuitum & liberale donum. Sed huic in Chriſtum credentium honori, qui tam magnifice prædicatur, reclamat iuditium mundi, & præſentium rerum ſtatus. Nam mundi iuditio credentes in Chriſtum, habentur pro abiectiſsimis uiliſsimisq; hominibus, adeoq; pro mundi excrementis. credentium uero in Chriſtum tam miſera eſt in hoc mundo, & tam ærumnoſa conditio, ut nemo Deum magis infenſum atq; iratum habere atq; ſentire uideatur, quàm ipſi. Primum igitur ne cæco et peruerſo mundi iuditio, illam noſtram dignitatem dubiam nobis reddere ſinamus, ait.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Propterea mundus non nouit uos, quia non nouit eum.

QVòd mundus nos non agnoſcit pro filiis Dei, inde accidit, quòd nec Patrẽ nouerint. Alia eſt uoluntas, aliud ingenium, alia ſtudia Patris cœleſtis, quàm ſint ipſius mundi, Mundus quidem ex contemplatione Creaturarum cognoſcit Deum, & æternam eius potentiam ac diuinitatem. Sed propter filium Ieſum Chriſtum crucifixum, quòd Deus credentibus nobis ſit propitius & clementiſſimus Pater, hoc à ſapientibus huius mundi eſt abſconditum. Nos igitur non exiſtimant eſſe filios Dei, qui hoc nomine gloriamur ſola fide in Ieſum Chriſtum, ſed pro ſummis Dei hoſtibus habent, adeò, ut ſi nos occiderint, putent ſe obſequium præſtare Deo. Quam id tandem ob rem? Quia non nouerunt patrem. Iohan. 15. Hæc facient uobis propter nomen meum, quia neſciũt eum, qui miſit me. Et mox. Si de mundo fuiſſetis, mundus utiq; quod ſuum eſſet diligeret. Quia uero de mundo non eſtis, ſed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus.

Chariſſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

**Chariſſimi, nunc filij Dei ſu=
mus, & nondum apparuit, id
quod futuri ſumus. Scimus
autem, quod ſi apparuerit, ſi=
miles ei erimus, quoniam ui=
debimus eum ſicuti eſt.**

*SIcut ex iuditio mundi non eſt ſtatuen-
dum, de filijs Dei, itaneq; ex ſtatu præ=
ſentium rerum. Omnia enim proſpera & ad=
uerſa, æque accidunt iuſto atq; iniuſto, ſed ex
fide naſcuntur filij Dei. Itaq; ut primum in
Chriſtum crediderimus, ſumus filij Dei, ſi
filij, & hæredes Dei, cohæredes autem Chri-
ſti erimus in futuro ſæculo. Nondum autem
apparuit id quod futuri ſumus, iure enim filio=
rum, qui nunc ſumus, erimus hæredes: quod ap=
parebit, cum uitæ æternæ hæreditatem adieri-
mus. Filium enim eſſe, & hæreditatem adire,
temporis interuallo diſtant, in hoc ſæculo ſu=
mus filij, in illo erimus hæredes. Quare etſi pa-
ter noſter cœleſtis beatus ſit & immortalis,
credentes autem in Chriſtum miſeri ſint &*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

mortales, nonpropterea tamen dubitare debent, ſe, etſi minus appareat, eſſe filios Dei: tempus enim adeundæ hæreditatis nõ eſt præſentis, ſed futuri ſæculi. Si autem apparuerit id quod futuri ſumus, hoc eſt, ſi apparuerit in futuro ſæculo nos eſſe hæredes, ex poſſeßione hæreditatis, ſimiles ei erimus, beatitudinis & immortalitatis gloria. Et ex hac ſimilitudine, quæ ſita erit in hæreditatis poſſeßione, & perfruitione beatæ immortalitatis cum Deo patre & Filio eius Ieſu Chriſto, pij pro filijs Dei agnoſcentur. de ea enim ſimilitudine loquitur, quæ dißimilitudini illi opponitur, qua obſtante pro filijs Dei in terris pij nõ habebantur: dißimiles autẽ Deo erant, ob miſerias & calamitates, quibus in hac uita fuerant obnoxij. ſic enim Sap. 5. impios cum gemitu loquentes introducit ſapiens. Hi ſunt quos habuimus deſpectui & ludibrio, nos ſtulti uitã ipſorum exiſtimabamus inſaniam, et exitum eorum ignominiam: ecce autem inter filios Dei computati ſunt, & ſortẽ ſanctorũ ſunt adepti. &c. Quapropter & ad Coloſſ. 2. Apoſtolus uitã noſtram dicit eſſe abſconditam in Chriſto, itaq; hîc quidem affligimur & morimur, ſed reuelato Chriſto, noſtra quoq; uita et gloria apparebit

bit, quibus ei tum ſimiles erimus.

Quoniam uidebimus eum ſicuti eſt &c. Hanc rationem adijcit noſtræ ſimilitudinis cum Deo et filio eius Ieſu Chriſto. Sed cũ nemo hominum aut Angelorum ſanctorum Deũ uidere poßit ſicuti eſt, tum demum aũt ſimiles ei futuri ſimus, cum eum ſicuti eſt uiderimus, ergo nunq̃ ſimiles, hoc eſt, beati & immortales futuri ſumus? Cõcedendũ eſt ſane, à nulla creatura diuinitatis eſſentiã plenè cognoſci poſſe, nec de ea in præſentia loquitur D. Iohan. ſed comparat inter ſe fidei notitiam, et claram uiſionẽ, quæ fidei in futuro ſeculo ſuccedet. Quãquam enim fides, collata cum cognitione Dei, quam gentes ignaræ Euãgelij Chriſti habẽt ex patefactione ꝑ creaturas, illuſtris admodũ ſit & clara notitia fidei: præ cuius fulgore, infideliũ de Deo cognitio, ignorantia et cæcitas in ſcripturis nonnũquam eſſe dicitur: tamen ſi fides conferatur ad uiſionem, ſicut D. Paulus aliquoties facit, ibi tum præ inenarrabili claritate uiſionis, obſcura reperietur etiam notitia fidei: nunc enim per ſpeculum, per ænigma, tunc aũt facie ad faciem, et, ut Iohan. hîc ait, ſicut eſt beatus & immortalis, ita uidebimus eum. Cum cognitionis autem claritate,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

noſtræ etiam beatitudinis gloria accreſcet: quia igitur per fidem hîc ambulamus, peccato quidem & morti ſumus obnoxij, ſed tamen liberi ſumus à iure peccati & mortis, ne nobis nocere, nosq; condemnare poßint: ſed cum viderimus eum facie ad faciem, ab omni etiam ſenſu peccati & mortis liberati, iuſti & immortales erimus, ſicut ipſe eſt iuſtus & immortalis. Itaq; qui nunc per fidem ſumus filij Dei, idem tunc per uiſionem eſſe declarabimur, quando ei ſimiles erimus. His ita interiectis, ad eximendam dubitationem animis noſtris, de dignitate credentium in Chriſtum, quòd certo ſint filij Dei, licet aliter mundus iudicet, & aliud præſens piorum ſtatus præ ſe ferat, Apoſtolus argumentum à dignitate filiorum Dei ductum concludit, dicens. Et omnis qui habet hanc ſpem, futuræ immortalitatis & gloriæ, in eo, nempe Chriſto, nam in eo omnis ſpes noſtræ immortalitatis & gloriæ nititur, is ſe purificat, abſtinendo à peccatis & in nouitate uitæ ambulando, ſicut ipſe purus eſt, & ab omni inquinamento peccati alieniſsimus. Quomodo enim quis ſe Chriſto gloria aßimilandū ſperet, qui ſe ei in hac uita, peccati impuritate diſſimilē reddit.

Omnis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Omnis qui committit peccatum, idem & iniquitatem cōmittit, & peccatum eſt iniquitas.

HAEc tertia ratio deſiſtendi à peccatis, ſumitur à peccati definitione. Vis aūt argumenti ſita eſt in uoce Græca ἀνομίας, *quam non ſatis exprimit iniquitas:* ἀνομίας *enim uox tranſgreßionem Legis ſonat. Hæc enim eſt propria peccati definitio. Quid enim aliud peccatum dici meretur: quàm quo Dei Legem tranſgredimur? Ex malis moribus, bonæ leges ſunt ortæ, rectè dicitur de politicis Legibus, quibus ferendis mali hominum mores occaſionem dederunt. Sed niſi Lex Dei fuiſſet, nullum eſſet peccatum in mundo, peccatū enim dicitur ideo, quod pugnet cum uoluntate diuina, cum qua ſi non pugnaret, peccatum non eſſet. Ideo Apoſtolus Paulus dicit: Vbi non eſt Lex, ibi nulla eſt transgreßio: & concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi Lex diceret, Non concupiſcas. Itaq; pugnare cum Lege, uel cum diuina uoluntate eſt propria,*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

& ſecundum Dialecticos, conſtitutiua differentia peccati. Sic igitur argumentatur Apoſtolus. Quicunq; committit peccatum: Legem transgreditur. Hanc à definitione peccati probat, Quia peccatum eſt iniquitas, ſiue tranſgreßio Legis. Extrinſecus aſſumenda eſt Minor. Sed credentes in Chriſtum non debent tranſgredi Legem. Nam à condemnatione, ſed non ab obſeruatione Legis per fidem liberamur, ſicut aliquoties auditum eſt. Ex his igitur ſua ſponte concluſio ſequitur, non eſſe committendum peccatum. Peccatum autem hîc non ſignificat uitium naturæ perpetuum, pugnans cum Lege Dei, quæ eſt originalis peccati definitio, à quo Apoſtolus Paulus, Rom. 7. nec ſe, nec quenquam aliorum piorum in hac mortali carne immunem eſſe poſſe oſtendit, ſed facere uel cōmittere peccatum, eſt radicis malorum omnium fructus proferre, & cōcupiſcentiam carnis perficere, & regnum in corpore noſtro, peccato permittere, ad uiolandam & tranſgrediendam omnia diuinæ Legis præcepta.

Et nouiſtis quod ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret.

Quartum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Quartum Argumentum, fidem cũ propoſito peccandi non conciliari poſſe. Fides enim eſt, quæ intelligit Chriſtum ideo ueniſſe in hunc mundum, ut peccata tolleret. Hunc enim eſſe principalem aduentus Chriſti finem, omnibus notum eſt. Agnus enim eſt Dei, qui tollit peccata mundi. Quibus autem tollendis Filius Dei in humana carne apparuit, in illis cõmittendis ac cummulandis, credentes Chriſto obſiſtere, quæ eſſet iſta, non tantum abſurditas, ſed etiã peruerſitas? Tolluntur autem peccata per Chriſtum dupliciratione. Primũ gratuita peccatorũ remiſsione & cõdonatione per fidem. Deinde peccati etiam expurgatione per Spiritum ſanctum. Neq; enim Chriſtus contentus eſt, nos ita curaſſe à lethali peccati morbo per ſanguinem ſuũ, ut nullum mortis æternæ periculum nobis ſit amplius metuendum: ſed ſicut bonus Medicus, reliquias etiam morbi, & ex morbo relictam omnium uirium imbecillitatem, corrigere etiam & ſubleuare ſtudet, per Spiritũ ſanctum, quo ſuffulti atq; adiuti, ſanorum opera, ſecundum diuinam Legem, aliquo modo præſtemus, donec toti in futura uita priſtinæ ſanitati reſtituamur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Et peccatum in eo non eſt. Omnis in eo manens non peccat, Omnis peccans non uidit eum, nec cognouit eum.

QVinta ratio ab alio effectu & offitio fidei petitur. fides eſt qua cognoſcimus & uidemus Chriſtum, quaq; in ipſo manemus. Qui peccat, neq; cognoſcit neq; manet in Chriſto. Quia peccatum in ipſo non eſt, non enim tantum non facit peccatum opere, ſed nullum etiã habet propagationis contagione: conceptus enim eſt è Spiritu Sancto, natus ex uirgine Maria. Quomodo autem non reperietur peccatum in ipſo, ſi nos, qui illi per fidem gloriaremur inſertos, peccatis nos contaminaremus? Quare ſicut nullum eſt in ipſo peccatum, ita nullus in ipſo eſſe cenſendus eſt, non modo qui non habet, per fidem in ipſum, remiſsionem peccatorum, ſed qui eam ſe per fidem habere iactitat, non autem à peccatis deinceps perpetrandis abſtinet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Filioli nemo ſeducat vos: faciens iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt.

NE miremur, cur tot congerat argumenta, quibus nos ad bonorum operum ſtudium exhortetur, eius rei cauſam eſſe docet, non agnatam tantum nobis ignauiam & tarditatem bene operandi ſecundum diuinæ Legis præcepta, ſed etiam calumnias doctrinæ Fidei & impudentiam nequiſſimorum quorundam hominum. Apoſtolo enim Paulo prædicanti, quòd Fide iuſtificemur, ſine operibus Legis, quid obiectum fuerit, notum eſt. Nota eſt & D. Iacobi diſceptatio cum illis, qui fidem iactabant, ſine bonis operibus, & fructibus pœnitentia dignis. Notæ ſunt & calumniæ multorum, clamantium nos prohibere bona opera, quia docemus, ſola fide nos iuſtificari coram Deo. Sicut igitur Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 6. Ne erretis, inquit, neq; ſcortatores, neq; adulteri &c. ita D. Iohannes ait, Filioli, nemo uos ſeducat. Error igitur eſt & mera impoſtura Sathanæ, fingere fidem Chriſtianam non fructificantem per bona opera. Sic

enim de neceßitate bonorum operum habendum eſt. Faciens iuſtitiam iuſtus eſt, ſicut ipſe iuſtus eſt. Nam qui per fidem Chriſti iuſtitiam induerunt, iuſti eſſe debent, ſicut ipſe iuſtus eſt. Chriſtus aũt iuſtus eſt, non tantum ita, ut in ſe habeat iuſtitiam, ſed ut eam etiã in omnibus operibus iuſtitiæ ſecundum legem Dei faciendis, proferat atq; exerceat. Ita faciens iuſtitiã, iuſtus eſt, ſicut ipſe iuſtus eſt. Fides enim non eſt ocioſa in nobis qualitas, non eſt ſtertens quidam Philoſophicæ uirtutis habitus, ſed eſt uis quædam ignea, qua exardeſcente in cordibus noſtris, ad benè per charitatem operandum impellimur. Et hæc numeretur ſexta ratio.

Faciens peccatum, ex Diabolo eſt, Quoniam ab initio Diabolus peccat.

Septima uerò ſit hæc ratio omniũ euidentißima. Qui uerbũ Dei audit, & credit in filiũ, ex Deo eſt, & non eſt ex Diabolo. Qui autem facit peccatum ex Diabolo eſt. Quia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Diabolus primus autor peccati eſt, nemo illo prior peccauit, & quicunq; poſt illum peccant, ipſius inſtinctu id faciunt. De quo Iohan. 8. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate nõ ſtetit. Cõditus enim fuerat à Deo in ueritate, à qua ſua propria & uoluntaria malicia deſecit. Ideo Chriſtus, ne quis Diaboli malitiam in Deum omnium creatorem referat, ſtatim uitium Diaboli à natura à Deo condita diſcernit, Cùm loquitur, inquit, mendacium, ex proprÿs loquitur. Quia mendax eſt, & eius rei pater. Ex hoc igitur patre ſunt nati, qui, ſicut Sathan, ita ipſi quoq; peccant, ſiue peccatum faciunt. Non enim peccare hîc ſignicat, habere peccatum. alioqui etiam credentes in Chriſtum pronunciaret eſſe ex Diabolo, omnibus enim pÿs confitendum eſſe, ſuprà monuit, quod habeant peccatum. Sed facere peccatum, eſt more Diaboli, dedita opera & de induſtria peccare, nec uitam Chriſtiano homine dignam ducere. Quod qui faciunt, utcunq; ſe fidem habere, & ex Deo eſſe glorientur, ex Diabolo eos eſſe, cum D. Iohanne ſtatuendum eſt.

In hoc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

In hoc apparuit Filius Dei, vt ſoluat opera Diaboli.

HAEc octaua ratio, fluit ex præcedente, in qua indicatum eſt, peccata eſſe opera Diaboli, & conſentit cum ea, quam ordine quartam poſuimus, niſi quod maiore uehementia hic urgeamur, ad cauenda peccata. Ad quæ diſſoluenda ac deſtruenda Filius Dei in hunc mundum uenit, qui fidem in illum habent, ea ſtabilire non debent. Siquidem credentes in Chriſtum, cum ſint ipſius partium, ſicut non poſſunt neq; debent, ipſo colligente diſpergere, ita non debent ipſo diſpergente & diſſoluente colligere, ſed ſiue diſpergat, ſiue colligat, ipſum pro uirili ſua adiuuare. Matth. 12. Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt. Diaboli aũt operum deſtruendorum cauſa, Filius Dei apparuit. Venit enim, ut fortem armatum, qui eſt Diabolus, exuat armis ſuis, & regno ſuo, quod per peccatum in homines tenuit, pellat atq; eijciat, Lucæ 11. Quantum igitur dedecus fuerit, ne quid grauius dicam, Chriſtianos ſcilicet contra Chriſtum demolientem potentiam Sathanæ committendis peccatis Sathanæ ſuppetias ferre?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum nō committit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, eó quòd ex Deo natus eſt.

EX hac fidei proprietate, qua ex Deo naſcimur filij Dei, iam ante argumentum etiam duxerat, ex eadem hîc nouam rationem contexuit, ad euincendū ueram Chriſti fidem, cum peccandi licentia, ſtare nullo modo poſſe. In confeſſo eſt, omnes credentes in Chriſtum, ex Deo natos eſſe. Omnes autem ex Deo natos, peccatum non facere aſſerit, hacq; ratione ſuam aſſertionem probat. Quoniam ſemen ipſius in eo manet. Ad conſideratione ordinis à Deo inſtituti in natura, nos reuocat. Videmus enim ex homine hominem, ex boue bouem, ex piro pirum, ex ficu ficum, ex uite uitem naſci. Hunc perpetuum ordinem in natura, uirtute ſpermatica quarumlibet ſpecierum conſeruari, Deus in opere tertij diei, Geneſ. 1. his uerbis teſtatus eſt. Germinet terra herbam uirentem & facientem ſemen, & lignū

 frugife-

frugiferum ferens fructum, iuxta ſpeciem ſuam, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, & factum eſt ita. Quamobrem ficus non profert tribulos, nec ſpinæ proferunt uuas. Ac diuerſæ ſpeciei fructus, ne proferre quidem poſſunt, propter diuerſam uim ſeminis, cuiq; in prima conditione inditi. Ex Deo igitur, non ſine ſemine Dei renaſcimur. Semen Dei, eſt uerbum Dei. Matth. 13. & 1. Pet. 1. Renati non ex ſemine mortali ſed immortali, per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. Manet autē in renatis Dei ſemen, quod eſt purum, ſanctum & immaculatum. Pſal. 12. Eloquia Domini, eloquia munda. Pſal. 19. Lex Domini immaculata, recreans animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Mōſtri igitur plane ſimile eſſet, ſi ſemē Dei impuri, prophani & polluti aliquid ex ſe proferret in renatis. Quod equidem accideret, ſi natus ex Deo, præterquam natura ſeminis Dei ferat, peccatum committeret. Itaq; qui ex Deo natus eſt, nō poteſt peccare, quia ſemen Dei, quod in ipſum renaſcendo propagatū eſt, nō poteſt ſeminis diuerſæ ſpeciei fructus facere, quæ ſunt peccata. Sed quo-

modo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

modo renatos dicit peccare non poſſe? An ſicut Pelagiani intellexerunt, quòd omni prorſus peccato careant? Nequaquam. habere enim peccatum, ſecundum carnalem natiuitatem non negat, quos ex Deo renatos, committere peccatum non poſſe affirmat, Cum autem manifeſti ſint multi & graues renatorum lapſus, ut Dauidis, Petri & aliorum, quomodo non poſſunt peccare, qui nati ſunt ex Deo? An pro peccatis ipſorum lapſus non ſunt habendi? ſicut improbi quidã hunc locũ etiam interpretati ſunt. minimè uero gentium. Renatorum lapſus ſunt peccata. Et renatos labi poſſe Iohannes non negat, ſed ſi peccata committendo labantur, ea peccata ex ſemine Dei prouenire poſſe, pernegat. Quare qui per fidem ex Deo renatus ſit, ac proinde ſemen Dei in ſe habeat, eum qua ratione ex Deo natus eſt, peccare non poſſe docet: ne quis Fidei profeßione peccandi licentiam captet, aut peccatum committendo, fidem ſe amittere non putet. cõtra eos enim diſputat, qui profeßionem Chriſtianiſmi, uita parum Chriſtiana dehoneſtant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli. Omnis qui non facit iuſtitiam, non eſt ex Deo.

VVlt Deus filios ſuos, à filijs Diaboli, non tantum interna cordis fide diſcerni, ſed hoc diſcrimen etiam nota quadam, & ſigno externo conſpici. Ac multæ quidem ſunt externæ filiorum Dei notæ, ut ſi quis frequentet cœtus publicos, ubi docetur uerbum Dei, eodem Baptiſmate nobiſcum baptiſetur, de eodem pane nobiſcum in menſa Domini comedat, facit quidem neceſſaria piorum officia, quæ tamen poſſunt eſſe Hypocritica. In operibus uerò iuſtitiæ ſecundum Legem Dei faciendis, rarior eſt, aut certè minus diuturna ſimulatio. Quare iuſtitia ſecundum Legem Dei præſtita, certior eſt & durabilior nota manifeſtandi filios Dei, ipſosq; diſcernendi à filijs Diaboli. Nam ſine ulla controuerſia, qui non facit iuſtitiam, non eſt ex Deo. Manifeſtos autem eſſe filios Dei, ipſis eſt honorificum, & Deo patri glorioſum. Luceat lux ue-

ſtra

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſtra coram hominibus, ut uideant bona opera ueſtra, & glorificent Patrem ueſtrum, qui in Cœlis. Matth. 5. Quare ut ſimul & ſuo honori, & gloriæ Dei conſulant, in bonorum operum ſtudium totis uiribus incumbant. Quæ quidem bona opera, non efficiunt, ut ſimus filij Dei, ſed cum per fidem filij Dei facti fuerimus, nos manifeſtant. Quod hîc attendendũ eſt, ne quam fiduciam in opera coram Deo collocemus. Tantum de ratione decima.

Et qui nõ diligit fratrem ſuum: quoniam hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio, vt diligamus nos inuicem.

HActenus in genere de faciẽda totius Legis iuſtitia, & non committendo peccato, decem rationes attulit. Ab hac generali exhortatione, nunc deſcendit ad ſpecialem cõmendationem dilectionis proximi, quæ eſt altera pars legalis iuſtitiæ. Quare quæ deinceps argumenta ſequentur, ad dilectionem proximi nobis commendandam pertinent. In quibus explicandis, nobis breuioribus eſſe licebit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

bit, quòd hic nonnulla repetantur, quæ ſuprà ſunt expoſita. Dixerat autem. Omnis qui nõ facit iuſtitiam, non eſt ex Deo, ex hac generali ſententia colligit hanc ſpecialem propoſitionem: ergo qui non diligit fratrem, non eſt ex Deo. Dilectio enim proximi, eſt altera pars iuſtitiæ, quam Lex Dei exigit. Quòd autem alienus à fraternæ charitatis affectu, non ſit ex Deo, hac ratione oſtendit. Quia ab initio annunciatum & præceptum fuit à Deo, ut nos mutuo diligamus, ſicut ſuprà dixerat, præceptum uetus eſt, quod habuiſtis ab initio. Non igitur ex Deo eſt, qui Dei mandatum de proximi dilectione non ſeruat.

Non ſicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem ſuum. Et cuius gratia occidit eum? Quia opera eius mala erant, fratris autem bona. Ne miremini fratres mei, ſi odit vos mundus.

Exemplo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

EXemplo declarat, qui non diligat fratrẽ, non eſſe ex Deo. Cain enim erat ex illo malo, Diabolo, & occidit fratrem ſuum. Certè non præ amore uita illum priuauit, ſed quia odio ipſum habuit. Qui igitur fratrem non diligunt, ſed oderunt ſicut Cain, non ex Deo ſunt, ſed ex Diabolo. Hiſtoria extat Geneſis 4. Cuius explicationi etſi hic diutius non eſt immorandum, cauſam tamen odij & cædis fraternæ, Apoſtolus ſilentio tranſire noluit, ne miremur nos mundo eſſe odio, ſicut Caino fuit inuiſus Abel. Nam cum pij, tanquam fratres omnes diligant, & quæ poſſunt, ipſis omnia dilectionis officia præſtent, ac ne cui nocumento ſint, ſedulo caueant, quæ cauſa tanti odij, quo mundus pios nihil malè meritos proſequitur? Eadem eſt, quæ fuit cauſa Cain, cur fratrem occideret. Nam piorum omnium typum geſsit Abel, impiorum autẽ Cain: Cain enim poſteritas eſt mundus: ſicut autem Cain non fuit Atheos, & contemptor Dei, alijsq; manifeſtis criminibus, ante admiſſum paricidium pollutus, ita mundi nomine hîc non tantum ſcelerati, ſed omnes in

primis Hypocritæ deſignantur, qui ſummum religionis & pietatis ſtudium præ ſe ferunt. Cur igitur Cain occidit fratrem? Quia opera eius mala erant, fratris autem iuſta. Quid, an malum erat offerre Deo, de frugibus terræ munera? at id Deus etiam poſtea faciendum piis præcepit. Cur igitur opera Cain mala? an quia ſibi reſeruatis optimis frugibus, uiliſsima & minimi pretii munera Deo obtulerat? at probabile eſt, ut ſunt plerunq; Hypocritarum opera, munera Cain externa ſpecie multò fuiſſe meliora ac ſplendidiora, quàm Abelis. Quare igitur Cain opera ſunt mala, & Abelis iuſta? Quia Cain erat malus, iuſtus autem Abel. diſcrimen enim bonorum & malorum operum, diſcrimen operantium conſtituit, ſicut Moſes clare ſcribit. Reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit. Alium enim ordinem in hominibus & ipſorum operibus approbandis, Deus ſeruat, quàm homines: homines enim primum oculos intendunt in opera, & his approbatis, probant etiam perſonam operantem: Deus autem qui cor intuetur, primum reſpicit in perſonam, quæ ſi bona fue-

rit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

rit illius opera pro bonis acceptat, ſin autem mala, unâ cum operibus ipſam reijcit. Sed cum omnes ex æquo ſint peccatores: quid nam illud eſt, quod operantes ita diſcerint, ut unum Deus probet, alterũ improbet? Fides in Chriſtum Ieſum. hæc enim ſola fuit, quæ Abelem primum, & deinde opera ipſius commendatiora reddidit Deo. ad Heb. 1. Per fidẽ, inquit Apoſtolus, uberiorem hoſtiam obtulit Deo Abel, quàm Cain, per quam teſtimonium meruit, quòd eſſet iuſtus. Quapropter & D. Ambroſius Abelis oblationem Propheticam uocat, quia in fide promiſſi liberatoris fiebat. Hac fide autem quia carebat Cain, ideo quæcunq; faciebat, peccata et Deo ingrata erant. Sibi igitur natu maiori, minorem: et ſuis operibus ſplendidioribus, fratris leuiora à Deo anteferri, id nimirum erat, quòd animum Cain excruciabat, tantumq; eius odium aduerſum fratrem inflammabat, ut non niſi fraterno ſanguine reſtingui, ac cæde fratris ſatiari, nec ab ea Cain diuina obiurgatione cobiberi potuerit. Tãtus eſt Phariſaici odij furor, ut uec Deo cedat, nec fraterno ſanguini parcat. Cuius imago cernitur, in Saule aduerſus Dauidẽ: in Pha-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

riſæo aduerſus publicanū, in frugi filio aduerſus prodigū, in Phariſæis aduerſus Chriſtum & Apoſtolos eius, in Papiſtis deniq; aduerſus Euangelicos. Nec enim alia eſt inter nos hodie, quàm quæ fuit inter Cain & Abelem, de uero Dei cultu & religione controuerſia, Eadem igitur cauſa ipſorum odij, quòd noſtrū cultum Deus in uerbo ſuo probet, ipſorum uero improbet & damnet: contra quorum ſeuitiam Abelis exemplo nos conſolemur. Cuius rei gratia Apoſtolus hæc de cauſa cædis fraternæ retulit, dicens. Ne miremini nec moueamini fratres, ſi mundus, qui habet ingenium Cain, uos, qui ſicut Abel uera fide Deum colitis, oderit.

Nos ſcimus, quòd translati ſumus de morte ad uitam, quia diligimus fratres. Qui nō diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Et ſcitis q̊d omnis homicida nō habet uitam æternā in ſe manentem.

Redit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

REdit ad commendationem fraternæ dilectionis, ac tertiam hîc rationem ab eo fidei effectu aßignat, quo à morte in uitam transferimur. Iohan. 3. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Iohan. 5. Amen dico uobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet, ſed tranſibit à morte in uitam. Quò igitur mors eſt terribilior, eò maior danda eſt opera, ut nos à morte in uitam translatos eſſe, certiores ſimus. Certiores autem reddemur, ſi non tantum fidei perſuaſione id ſtatuerimus, ſed & ex fraterna dilectione, eximio fidei fructu, id collegerimus. Per hanc enim ſcimus, quòd à morte in uitam trãſierimus: Quod à cõtrario planũ facit. Qui enim non diligit fratrem, manet in morte. Nã qui non diligit fratrem, ipſum odit, nullũ enim medium datur, inter odium & dilectionem. Nam ſecundum diuinæ legis ſententiam, qui uerum Deum non colit, eſt idololatra: qui non confitetur eũ, abnegat: qui Sabbathum non ſanctificat, prophanat: qui non obedit parentibus, rebellis eſt: qui nõ tuetur uitã, occidit: qui non

largi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

largitur egenti, furatur: eodem modo de reliquis diuinæ Legis præceptis iudicandum eſt. Sic igitur & qui fratrem non diligit, ipſum odit. Qui uero odio habuerit fratrem, manet in morte. Quod coram humanæ rationis iudicio, quoniam Paradoxon apparet & incredibile, idcirco quid de odio aduerſus fratrem, ex mente diuinæ Legis ſit ſentiendum oſtendit, ut nemo magnopere mirari debeat, ſi qui fratrem oderit, dicatur manere in morte. Omnis enim, inquit, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Sic enim Chriſtus Matth. 5. Legem interpretatur. Quiſquis iraſcitur fratri ſuo temere, obnoxius erit iudicio. Lex enim Dei, nõ tantũ prohibet, ne cui uiolentas manus inferamus, ſed ne ira aduerſus fratrẽ commoueamur, neuè odium aduerſus ipſum foueamus. Quæ tametſi uulgaria ſint, & leuia putentur eſſe delicta: quod tamen ad odium attinet, quàm atrox & horrendum apparet homicidium in oculis hominum, tam abominabile & deteſtandum eſſe odium aduerſus fratrem in conſpectu Dei, Iohannes apertè pronunciat. Politici igitur homines, ſicut negant fas eſſe intueri lucem, qui hominem occiderit, quapropter homicidam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

non ſolum ciuilibus Legibus, ſed & diuino mandato, Magiſtratus capite mulctare iubetur. Ita omnes pij haud dubie norunt, quod omnis homicida non habeat uitam æternam in ſe manentem, ſed quod coram Deo, dignus æterna morte habeatur. Qui igitur fratrem odio proſequitur, cum ſit homicida, in morte manet: Ergo è contrario, qui fratrem diligit, merito dilectionis non quidem transfertur de morte ad uitam, ſicut quidam hunc locum, contra uerba & ſententiam Apoſtoli, ad operum merita contra fidem ſtabilienda detorquent: ſed ſe uerè per fidem in Chriſtum à morte translatum eſſe cognoſcit, ſi fratrem diligit: ſicut enim edere, bibere, dormire, ambulare, & ſi quæ ſunt aliæ uiuentium actiones, hominem mortuum non uiuificant, id enim ſola facit anima, ſed ſolummodo ipſum iam uiuere indicant. quapropter Chriſtus, Iairi filiæ à mortuis reſuſcitatæ, iuſsit dare cibum: & ipſe poſt reſurrectionem ſuam coram diſcipulis comedit, ut & ſe, & Iairi filiam uerè uiuere, omnibus approbaret. Quanquam enim cibus uitam nemini conferat, nemo tamen cibum capit, qui non uiuat. Ita ſpiritualis uitæ anima eſt, fides in

Chriſtum,

Chriſtum, per quam ſolam à morte in uitam transferimur. Dei uero & proximi dilectionis opera, ſunt uitales actiones, quæ licet neminem uiuificent, tamen, quoniam nemo niſi uiuat, eas actiones ædere poteſt, idcirco præſentis uitæ certa ſunt indicia, ſicut Iohannes notanter ſcribit, Nos ſcimus, quod translati ſumus de morte ad uitam, quia fratres diligimus. Nos ſcimus, ait, et translati ſumus, non transferimur.

Per hoc cognouimus charitatem, quoniã ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

EX præcedentibus ſatis conſtat, credentibus in Chriſtum colendam & exercendam eſſe dilectionem erga fratres. Nunc fraternæ dilectionis modum nobis præſcribit. Multi uerbis & uultu ſimulant, nec corde ſunt ueri amici, ac nihil uulgatius eſt, quàm benigne polliceri multa, & reipſa nihil præſtare.

re. Eiuſmodi ſimulationem amoris Iohannes negat eſſe fraternam dilectionem, quæ ex uera in Chriſtum fide promaneat: ueræ autem dilectionis affectus, qui in Chriſto fuit, induendus & imitandus eſt Chriſtianis. Sui erga nos amoris magnitudinem, Deus unigenitum filiũ nobis donando, filius autem pro nobis moriendo declarauit. Iohan. 15. Maiorem hac, dilectionem nemo habet, quàm ut quis animã ſuam ponat pro amicis ſuis. Vtriusq; uero & patris & filij amoris erga nos magnitudinem Apoſtolus Paulus amplificat Rom. 5. Commẽdat ſuam erga nos charitatem Deus: quòd cum adhuc eſſemus peccatores & inimici, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Hic eſt ſummus igitur dilectionis gradus, mori pro alio, et quidẽ inimico, quod Chriſtus ſanè fecit, & animam ſuam pro nobis poſuit. Non enim ui coactus & inuitus, ſed ſponte ſua pro nobis mortẽ crucis ſuſtinuit, nemo enim animam ipſi auferre potuiſſet, niſi ipſe eã ponere pro nobis uoluiſſet, quod ut uellet, immenſi amoris erga nos ardore adigebatur. Per hoc igitur, inquit, cognoſcimus charitatem filij Dei erga nos, quod ille animã ſuam poſuit pro nobis. Nos enim tantæ dilectionis

& mor-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

& mortis ſuæ merito nos à peccatis & morte redemit. Et hic quidem eſt primus & præcipuus dilectionis & mortis Chriſti fructus, quem fides percipit, ut uidelicet ſit meritum noſtræ redemptionis: de quo nihil hoc loco, ſed de altero duntaxat agitur, quo dilectio & mors Chriſti, eſt exemplum imitationis. Et nos, inquit Iohannes, debemus animas ponere pro fratribus. Iohann. 15. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis uos inuicem, ſicut ego dilexi uos. Non autem nos humiliter orat, non nobis fideliter conſulit, ſed ſeueriter & cum autoritate, nos inuicem diligendos, ſicut ipſe nos dilexit, mandat atq; præcipit. Quare ad obſequendum nos mandato Chriſti teneri meminerimus.

Sed quis eſt, dicit quiſpiam, qui tanta amoris beneuolentia proximum ſuum complectatur, præſertim inimicum, ut pro illo, ſicut Chriſtus fecit, mortem oppetere non dubitet? Nemo certe reperitur inter eos, qui fidem in Chriſtum non habent, qui omnino uel pro ſe, nedum pro alio, eoq; inimico, mori cupiat: ſed inter eos, in quorum cordibus Spiritus Chriſti per fidem habitat, non deſunt præclara eius-

modi

modi dilectionis exempla, Moſes petit deleri potius, de libro uitæ, quam erga ſe ingratißi=mum populum, à Deo perdi. Dauid ſe, totamq; domum paternam peſte abſumi petit, modo ſubditis ſuis parcatur. Paulus, à Deo pate=factis omnibus oſtijs carceris, Actorum 16. quoduis uitæ periculum cum ſocijs captiuitatis adire maluit, quàm cuſtodem carceris mortem ſibi conſciſcere. Quin & à Chriſto anathema fieri cupit, pro fratribus iudæis, à quibus peßi=me atq; indignißime tractatus fuerat. In hoc catalogo ex animo Deum & proximum dili=gentium, omnes Prophetæ, Apoſtoli & Martyres continentur. eodem enim modo omnes fuerunt affecti, licet in alijs hic tantus dilectionis affectus fuerit & ardentior, & conſpectior, quàm in alijs. omnes enim orarunt pro perſecutoribus, proq; illorum ſalute, ui=tam expenderunt: idq; hodie etiam faciunt, qui Euangelium ad ſalutem omnium promouendã annunciant: habent illi certe præmeditata om=nia pericula, ea profecto ſe paterentur abſter=rere à cõfeßione & prædicatione uere doctri=næ, niſi ſe, non ſibi, ſed Chriſto & proximo ui=uere, & Chriſti gloriam & proximi ſalutem,

ſuo rerumq́; ſuarum omnium periculo redimen-
dam eſſe ſtatuerent: hunc dilectionis fraternæ
affectum in nobis per Spiritũ Chriſti excitari
rogemus, & eum Chriſti in primis, ac reliquo-
rum piorum exemplis, tanquam facibus quibus-
dam adhibitis inflammemus.

Is autem affectus Chriſti, de quo ad Phi-
lip. 2. ſi maxime in ſanctis fuerit, non tamen
putãdi ſunt aliquid præſtitiſſe ultra quam de-
buerint. ſicut delirarũt, qui neſcio quæ ſupere-
rogationis opera ex piorũ Martyrijs fabri-
carunt, quæ ſub poteſtate clauium poſita, Ec-
cleſia defectibus aliorum hominum ſupplendis,
per indulgentias applicet. Nam quicunq; pi-
orum pro alterius ſalute promouenda moritur,
non modo non ſupra ſeipſum, ſed nondum etiam
ſicut ſeipſum, proximum ita diligit, quemad-
modum lex Dei exigit. Omnes ſumus noſtri tã
amantes, ut nobis periclitantibus quemuis, cum
uitæ ſuæ diſcrimine ſubuenire cupiamus, hunc
ſui amorem quando pij in proximum deriuant,
proximum ſicut ſeipſos quidem diligunt, ſed
non eo perfectionis modo, quo debebant. Ne-
mo enim piorum eſt, quantumuis proximi amo-
re ardeat, cuius pro fratrum ſalute moriendi
alacri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

alacritatem, non retardet, eiq́ non obſtrepat carnalis infirmitas, licet tandem in hac pugna preualeat & ſuperet Spiritus, Rom. 7. Quia igitur carne et lege membrorum rebellante, nō totus homo diligit proximum, ſicut ſeipſum, idcirco ſi quis moritur pro alio, nondum totā & integram obedientiam mandati, de proximo ſicut ſeipſum diligēdo præſtitit. Et ut maxime eò perfectionis proficere quis poſſet, in hac mortali carne, nihil tamen, quod alijs uſui eſſet, ſupererogaret, cum id ipſi operāti ad remiſſionē peccatorum & ſalutem conſequendam eſſet futurum inutile, Chriſto dicente. Luc. 7. Cū feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite, ſerui inutiles ſumus: quia quod debuimus facere, fecimus. Quare: ſi quod hic Iohannes præcipit, animas ſuas pro fratribus pij ponūt, ſicut Chriſtus animam pro nobis poſuit, hoc diſcrimen inter Chriſtum, & pios Chriſtum imitantes tenendum eſt. Quoniam ſolius Chriſti obedientia fuit indebita. & nulla carnis infirmitate impedita, idcirco non tantum eſt exemplum, quod imitemur, ſed pretium etiam quo redimimur à peccato & morte æterna. Piorum uero obedientia, quam legi, Deum &

proximum diligendo, præſtant: quoniam ad eam Lege aſtringuntur, nec quantam debent, unquam perſoluunt, Idcirco non eſt pretium & ſatisfactio pro ipſorum, multo minus pro aliorum peccatis, ſed tantum imitationis exemplum, quod tamen cum exemplo Chriſti abſolutiſſimæ perfectionis laude, nulla ex parte conferri poteſt.

Qui uero habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

SVpremo dilectionis gradu expoſito, quo non ſolum lege Dei, ſed etiam Chriſti ſaluatoris noſtri mandato & exemplo, animas noſtras pro fratribus ponere tenemur, ad leuiora fraternæ dilectionis officia præſtanda nos excitat. qui enim proximo uitam ſe debere perſuaſum habet, an ei eſurienti uictum negabit? At qui, quæ ad uictum pertinent, pro eo ponere recuſabit, quis illi, ut animam pro eo ponat,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

nat, perſuadebit? Semper igitur ob oculos nobis uerſari debet, exemplum Chriſti, ponentis animam ſuam pro nobis: quem ubi nobis imitandum propoſuerimus, quotieſcunq; conſpectui noſtro ſe offert fratris neceßitas, ſic cogitabimus. Quid facio? Quid fratri uictui neceſſaria ſuppeditare, tam diu moror? quid ita uero cunctor? Quid ſi uitam à me poſtularet? eam certè non grauatim ipſi impertiendã eſſe Chriſtus, qui animam ſuam pro me poſuit, præcepit, Non igitur me difficilem præbebo in paupertate & inopia fratris ſubleuanda, hiſq; mediocribus dilectionis fraternæ officijs, crebrò & prompto animo exercendis, ad illum ſummum fraternæ dilectionis gradum cõſcendere ſtudebo: ita maioris debiti cogitatione, ad minora proximo libentius ſoluenda incitemur. At ſimul hic etiam circumſtantias quaſdam in eroganda Eleemoſina obſeruandas attendamus. Quis ad dandum tenetur? Qui habuerit ſubſtantiam mundi. Nam qui nihil habent, quid alijs largiantur? quibus igitur diuina largitate ſuppetunt diuitiæ, pro eorum modulo, larga uel parca manu alijs neceſſaria ſubminiſtrent. Quibus alijs? egentibus. Qui uiderit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ait, fratrem egentem, habentibus enim nihil debetur. Sed quomodo egeſtati proximi ſuccurrendum? cum commiſeratione, qua aliena miſeria ut noſtra afficimur, ac compatimur. Et clauſerit, inquit, uiſcera ſua ab eo &c. Phraſi enim ſcripturæ propria, claudit uiſcera ſua, qui nihil aliena calamitate & miſeria mouetur. Non igitur, ut prodigi ſolent, ſine iudicio & affectu miſericordiæ danda eleemoſina. Commiſeratio autem hæc ſortis alienæ, ſit non tantum humanitatis, ſed & fraternæ charitatis. Nam & infideles egentibus benefaciunt, ſed nullo fraternæ dilectionis affectu. Ariſtoteles cum admoneretur, quod homini improbo & indigno dediſſet aliquid, ſe non nebulonem, ſed hominem miſeratum eſſe reſpondit. id equidem humanitatis erat, ſed hæc longè ardentior eſt, & purior fraternæ dilectionis affectus. Quo autem propoſito & fine aliquid conferendum in pauperes? ut obediamus Deo, ipſumq; colamus. Quomodo, ait, charitas Dei manet in eo, qui clauſerit uiſcera &c. de fraterna dilectione diſſerit, opem autem non ferentem pauperi, non dicit fraternæ dilectionis eſſe expertem, ſed charitatis Dei: eò quòd

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*fraterna charitas, ex dilectione Dei profici-
ſcatur, & ad hanc ſit referenda. Qui enim De-
um diligit, ei præcipienti proximi dilectio-
nem obſequitur, quod obſequium non alio con-
ſilio præſtandum eſt, quàm ut Deum, quem
diligimus, honoremus & colamus.*

Filioli mei, ne diligamus verbo, neq; lingua, ſed opere & veritate.

MVlti magnificis uerbis, non ſolum ad opes, ſed ad uitam etiam pro fratribus profundendam, ſe paratos eſſe iactitant, ubi uentum ad rem fuerit, minus nihilo faciunt. Superiori igitur doctrinæ hanc exhortationem adijcit, quæ cum his D. Pauli uerbis Roman. 12. conuenit. Dilectio ſit non Hypocritica & ſimulata. Cain interrogatus à Deo, Vbi eſt frater tuus? reſpondit, neſcio, nunquid egó ſum cuſtos fratris mei? non tantū non opere, ſed ne uerbis quidem diligebat, qui fratrem ſibi curæ eſſe palàm negabat. Hæc nō eſt dilectio Hypocritica, ſed prorſus nulla. Ioab, Iudas, Petrus, uerbo & lingua dilige-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

bant, ſed non opere, hæc eſt dilectionis primæ hypocriſis, cum uerba dilectionis non conferuntur ad rem & opera dilectionis. Ananias & Saphira, non ſolum uerbis & lingua, ſed & opere diligebant: uerùm non ueritate. opus enim faciebant dilectionis, mentientes interim Spiritui ſancto. Hæc eſt altera dilectionis Hypocriſis, cum operi animus operantis non reſpondet. Ad cauendam igitur dilectionis Hypocriſin, quæ in uerbis eſt & lingua, Iohannes opere diligendos eſſe fratres dicit. Ad cauendam autem Hypocriſin in operibus dilectionis, ueritate fratres diligendos præcipit. Veritate autem diligit, cuius animus non tantum cum opere, ſed & cum uerbo Dei conſentit. Quod igitur breuiter Paulus dixit, Dilectio ſit non Hypocritica, id eadem ferè breuitate, ſed dilucidè admodum expoſuit Iohannes, qui ueræ ac non ſimulatæ dilectionis exercendæ, grauiſsimas rationes attexit, dicens.

Et in hoc cognoſcimus, quod ex ueritate ſumus, & in conſpectu eius ſuadebimus cordibus

dibus noſtris. Quoniam ſi cõdemnet nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Dilecti: ſi cor noſtrum nõ condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum: & quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta eius cuſtodimus, & ea quæ placita ſunt coram eo, facimus.

PRima ratio eſt, qua nobis perſuadere conatur, ut opere & ueritate nos mutuo diligamus. Quia inde cognoſcimus nos eſſe ex ueritate, hoc eſt, ex Deo & filio eius Ieſu Chriſto, qui eſt uia, ueritas & uita. Fidem declarari & cognoſci ex dilectionis operibus, tanquam fructibus & ſignis, ſæpe iam repetitum fuit. Qualis igitur fuerit noſtra dilectio, talem & fidem eſſe, non dubia coniectura colligitur. Si enim non dilexerimus nos inuicem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

opere & ueritate, ſed tantum ſimulate, nec uera fide ueritati Chriſto nos inſitos eſſe conſtabit, ſemper enim dilectio fidem, ex qua naſcitur, etiam imitabitur: uera enim fides uerã dilectionem, ficta fides ſimulatam dilectionem pariet. Ficta ne igitur an uera ſit fides in corde latitans, dilectio quæ in oculos incurrit manifeſtat, ſi igitur charitas refrigeſcit, prior fides congelaſcit: ſi charitas non fuerit uera, ſed ſimulata, & fidem non ueram, ſed fictam eſſe, certiſsimum eſt: at non ficta, ſed uera tantummodo fide, ueritati Chriſto inſerimur. Ergo ſicut ex uera dilectione, ueram fidem cognoſcimus, ita ex uera fide cognoſcimus, nos eſſe ex ueritate, qui eſt Chriſtus Saluator noſter. Nam ſicut operibus dilectionis non inſerimur Chriſto, ſed ſola fide, quæ per dilectionem eſt efficax, ita nos ex ueritate eſſe, ex uera dilectione non cognoſcitur, niſi qua ratione, per ueram dilectionem fides non ficta, ſed uera in nobis eſſe declaratur. Neq; enim hic de certitudine & ueritate fidei, per ſe conſideratæ agitur, cuius certitudinis & ueritatis alia eſt cauſa, quàm

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

noſtra dilectio, nempe Dei certa & uera promiſsio. Noſtra aũt uera dilectio de qua hic ſermo habetur, eſt certum indicium, & in nobis eſſe, ueram illam fidem, quæ ſoli diuinæ promiſsionis, nõ autem noſtræ dilectionis ueritate corã Deo nititur. Hanc rationem, dilectionem nobis commendandi cauſa, quia antea ſemel atq; iterum produxerat, ideo breuiter hic tantum nobis eam in memoriam reuocat, in altera autem tractanda, diutius aliquanto immorabitur. Sic enim ait.

Et in conſpectu eius ſuadebimus cordibus noſtris &c. Veræ & non ſimulatæ dilectionis hæc altera erit utilitas, quod bonam ſimus habituri conſcientiam coram Deo. Hac enim loquendi formula, ſignificat nos ueræ & non ſimulatæ dilectionis operibus perſuaſuros cordibus noſtris, ut ſint tranquilla & quieta, nec uereantur in conſpectu Dei comparere, dici autem non poteſt, quanta ſit bonæ & tranquillæ conſcientiæ fœlicitas, de qua Prouerb. 15. Secura mens, quaſi iuge conuiuium.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Quare & hæc utilitas, quæ ex ueræ dilectionis operibus prouenit: amplior eſt, quàm ut eam uerbis quisquàm enarrari poßit. Sed quare ueræ dilectionis opera, conſcientiæ bonæ coram Deo quietem & tranquillitatem parere dicit, quæ laus ſoli in Chriſtum fidei alias tribuitur: hæc enim ſicut ſola iuſtificat, ita bonam et tranquillã conſcientiã ſola reddit. Rom. 5. Iuſtificati igitur ex fide pacem habemus apud Deum. Et Chriſtus ipſe eſt pax noſtra &c. Dupliciter ſcriptura de bona conſcientia loquitur. Eſt enim bona conſcientia, quæ ex fide & fidei ſacramentis oritur, hiſq; conſeruatur: de qua Roma. 5. iuſtificati ex fide pacem apud Deum habemus, & 1. Petri 3. Baptiſma non eſt ſordium corporis depoſitio, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ coram Deo, per reſurrectionem Chriſti. Hæc bona conſcientia, ex certa perſuaſione fidei & ſacramentorum naſcitur, qua Deum nobis per filium reconciliatum placatumq; eſſe certo ſtatuimus. Eſt deinde alia bona conſcientia, quam in Chriſtum credentibus, & priorem bonam conſcientiam habentibus, confert diligens & ſedula obſeruatio mandatorum Dei per ueram dilectionem:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

nem: de hac D. Paulus 1. Corinth. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed per hoc non ſum iuſtificatus: non enim conſcius ſibi erat, alicuius delicti à ſe perpetrati contra legem Dei, & quæ ſecundum legem bona dilectionis opera præſtabat, in illis nullius erat ſibi conſcius hypocriſeos & ſimulationis: de hac etiam bona conſcientia Iohannes in præſentia agit. Hac autem bona conſcientia, quanquam, ut D. Paulus ait, non iuſtificet, ſicut nec ueræ dilectionis opera, ex quibus ipſa naſcitur: tamen cum fide iuſtificante, & fidei iuſtificantis bona conſcientia, tanta neceßitate coniungitur, ut abſq; ea fidem, & quam fides affert, bonam conſcientiam tueri ac retinere nemo poßit. Nam ſi teſtimonium bonæ conſcientiæ credentibus in Chriſtum defuerit, malam conſcientiam ipſas habere neceſſario ſequitur. Mala autem conſcientia, ipſos condemnat: quare cum fide ipſos iuſtificante ſimul conſiſtere nequit: idcirco & Iohannes magna cautione hic uſus eſt in loquendo. Cum enim dixiſſet, ſi coudemnet nos cor noſtrum &c. poſtea in Antitheſi non ait, Si autem cor noſtrum nos iuſtificet, ſed dicit: ſi cor noſtrum non condemnet nos &c.

cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

cum Paulo enim docet, benè ſibi conſcium eſſe, non quidem iuſtificare, ſed tamen malam conſcientiam damnare, & fidem iuſtificantem ſolere excutere. Quapropter bonæ conſcientiæ teſtimonium, opere & ueritate proximum diligendo, nobis comparare ſtudeamus. Quoniam ſi cor noſtrum nos condemnet, quod uel omnino non diligamus fratres, uel ſimulatam dilectionem habeamus, quo Deus maior eſt corde, & iuſtior iudex, quoq; melius omnia, ac noſtras etiam cordium cogitationes nouit, quàm noſmetipſi, eo magis ipſe quoq; nos condemnabit, Nam qui ſe iudice non abſoluitur, multo minus à Deo innocens pronunciabitur: adeò ut & in extremo die, Deus ſit iudicaturus Gentes, ſecundum ſuæ conſcientiæ teſtimonium. Roma. 2. Si autem cor noſtrum non condemnat nos, uel nullius, uel ſimulatæ dilectionis, fiduciam habemus erga Deum. Nam eam retinemus, quæ malæ conſcientiæ teſtimonio non excutitur. Neq; enim bona conſcientia, quam uera & non ſimulata dilectio parit, in fiduciam aliquam diuinæ erga nos gratiæ corda noſtra erigit, ſed quam Chri-

ſtus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſtus in nobis excitat per fidem, eam quoniam mala conſcientia non infringit atq; eijcit, eandem nos habere ac retinere dicit.

Hunc bonæ conſcientiæ uſum, quo fiduciam erga Deum, de ipſius erga nos gratia, fauore, & auxilio retinemus, amplificat: à fiducia erga Deum fructu præcipuo, ab exauditione precum noſtrarũ. Nam ſicut ex uerbo dei fides, ita ex fide uera Dei & nominis Chriſti inuocatio proficiſcitur, & exauditur. Quomodo enim, inquit, Apoſtolus Rom. 10. inuocabunt, in quem non crediderunt? Qui aũt ex fide orauerint, omnia quæ petierint impetrabunt: ſed ea omnia, quæ ſecundũ analogiã fidei, & uerbum Dei petierint. Res quidem, quæ ad animæ ſalutem pertinent, ut remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum, & ſimiles. Sicut Deus ſine ulla cuiuſcunq; conditionis exceptione, credentibus ſe daturum promiſit, ita eas ſine ulla recuſatione & mora præſtabit. Quæ uero res ad temporalis uitæ, commoditatem proſperitatemq́ ſpectant, ſicut ſub conditione Dei gloriæ, & noſtræ ſalutis ſunt petendæ,

dæ , ita eas nobis petentibus , conditione noñ pendente , largietur , hisq́; contrarias ubi fuerimus deprecati , uel omnino auertendo , ne in eas incidamus , uel ubi inciderimus , ex ijs nos liberando , uel ubi nos non liberauerit , ſua nobis gratia aſſiſtendo , ut patienter ac fortiter omnia tollerare ac perferre poßimus , nos exaudiet. Exauditionis aũt quæ eſt ratio? Quoniam præcepta eius cuſtodimus , inquit , & quæ placita ſunt coram eo , facimus. At non noſtra cuſtodia & obſeruatione mandatorum Dei , ſed fiducia gratiæ in Chriſto promiſſæ , uidetur precum noſtrarum exauditio niti debere. Sicut paßim ſcriptura , preces ex fide profectas , efficaces eſſe , ac nubes penetrare prædicat : ſicut Chriſtus , inquit. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Ne igitur fiduciæ in Chriſtum exauditionẽ precum detrahere , eamq́; noſtrorum operum ac meritorũ dignitati putetur adſcribere , quorũ nam præceptorum Dei obſeruatione , quæ à Deo petierimus , nos impetraturos dixerit , exponit. dicens.

Et hoc eſt præceptum eius , ut

creda-

credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuo, ſicut dedit pręceptum nobis.

DVo ſunt præcepta Dei, in quæ totâ ſcriptura ſacra diuiditur. Euangelium & Lex. Quanquam Euangelium minus propriè dicatur præceptum: tamen ſuæ doctrinæ Chriſtus ipſe hanc appellationem nonnunquam tribuit, & Iohannes hîc eam etiam retinuit, ne quis præcepti nomine, tantum Legem uenire, ac de Lege dicta eſſe putet, quæ de propria Chriſti doctrina præcepti nomine dicuntur. Euangelium igitur eſt præceptum Fidei. Lex uerò præceptum dilectionis. Hoc eſt enim, inquit, præceptum eius, ut credatis in nomine Filij eius. Matth. 17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum eſt, ipſum audite. Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam uos. Hoc eſt enim in nomine Ieſu Chriſti filij Dei credere, ipſum, ſicut nomen Ieſu, ſingulari prouidentiæ Dei conſilio, Chriſtô

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

inditū, ſonat, pro ſaluatore ac redemptore ſuo agnoſcere. Et diligamus nos mutuo, ait, ſicut dedit præceptum. Primum cum legem cordibus noſtris inſcripſit, deinde per Moſen reſtaurauit, poſtremo repetijt & expoſuit per Filium, dicentem. Hoc præcipio uobis, ut uos inuicem diligatis &c. Præceptum autem Legis, quanquam ordine doctrinæ, ante Euangelium ad peccata arguenda tradatur, obſeruatione tamen, Euangelij præceptum in credentibus Lex ſequitur. Nemo enim præcepti dilectionis obſeruationem inchoari poteſt, niſi crediderit Euangelio. Quia igitur Iohannes credentibus in Chriſtum ſcribit, ideo præceptum fidei, qua Legem Apoſtolus Paulus ſtabiliri dicit, præcepto dilectionis, ordine præponit. Hæc igitur placita & præcepta Dei, qui ſeruat, eius preces exaudiuntur. Nam præceptum Euangelij, ſeruatur fide in Chriſtum, unicum mediatorem & Aduocatum noſtrum, & propitiationem pro peccatis noſtris. Præceptum Legis ſeruatur opere & ueritate diligendo proximum. Præcepti Euangelij obſeruatione, hoc eſt, fide in Chriſtum, nititur noſtrarum precum

exauditio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

exauditio. Obſeruatione uerò præcepti Legis, hoc eſt, uera dilectione, non quidem nititur exauditio noſtrarum precum, ea tamen etiam ad exauditionem requiritur. Hac enim abſente, mala conſcientia, uel nullius, uel ſimulatæ in nobis dilectionis, nos condemnat, & fidem iuſtificantem excutit, qua ſola exauditionem precum noſtrarum niti, ſæpe iam dictum eſt. Rectè igitur Iohannes precibus noſtris omnia à Deo nos impetraturos aſſerit, ſi eius hæc duo præcepta obſeruauerimus, quorum alterius obſeruatione, hoc eſt, Fide, nititur exauditio, Alterius autem obſeruationis, ueræ uidelicet dilectionis dignitate, non nititur quidem exauditio, ſed non excutitur, ſed retinetur Fides, per quam ſolam inuocantes exaudiuntur. Quod & Petrus uoluit, 1. Petri 3. Vbi maritos hortatur, ut ita coniuges ſuas tractent, ne impediantur ipſorum preces.

Et qui ſeruat præcepta eius, in illo manet, & ipſe in eo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

COmmendat nobis hac ratione præceptorum Dei obſeruationem, quorum mentionem iam fecerat. Nam qui in Chriſtum credit, in Deo & Chriſto manet: primum enim per fidem ipſis coniungitur, deinde per Dilectionem, hanc cum patre & filio ſuo coniunctionem, omnibus declarat: in eo uiciſsim Deus cum filio ſuo manet, Iohan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Vbi Chriſtus de uerbo Euangelij potiſsimum loquitur, id quoniam gratiam gratuitò promittit, non poteſt aliter quàm fide ſeruari: nemo autem poteſt quicquam Deo gratius facere, & maiore honore ipſum afficere, quàm promittenti credendo, ſummam miſericordiæ & ueritatis laudem tribuere. quapropter nos in Chriſto diligit, & ad nos non tantum uenit, ſed perpetuo nobiſcum manet, una cum filio ſuo Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, noſq; ſibi domicilium conſtituit, templumq; conſecrat, quod incolat atq; inhabitet, ac præſentiæ ſuæ clara documenta præbeat: ideò addit.

Et per hoc ſcimus, quòd manet in nobis, è Spiritu quem nobis dedit.

DEdit enim Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, abba pater, Spiritus autem ſe profert in nobis, primum cum illuminatione Spiritus introducimur in agnitionem Chriſti filij Dei, & in agnita ueritate de Chriſto, confirmatione Spiritus perſeueramus, contra impoſtorum fraudes & Tyrannorum crudelitatem. Spiritus enim Sanctus excitat fidem in cordibus noſtris, eamq́; auget, atq; immotam uſq; in finem in nobis conſeruat, qua primum Dei præceptum ſeruatur. Deinde Spiritus dicitur Sanctificationis, quia eius uirtute renouamur, ut in nouitate uitæ ambulemus: ſicq́; alterum Dei præceptum de uera dilectione ſeruamus, ope & auxilio Spiritus ſancti. Ex his Spiritus ſancti operationibus & offitijs proprijs, Spiritum ſanctum in nobis eſſe, & per Spiritum patrem & filium in nobis habitare, clare perſpicitur. His ita finiemus caput tertium, in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

quo commendauit nobis ſtudium bonorum operum, Ac primũ in genere iuſtitiã nobis colendam iniunxit, Deinde in ſpecie fraternam dilectionem præcepit, Tertio modum non ſimulate diligendi proximum præſcripſit, Quarto & poſtremo loco hunc modum opere & ueritate diligendi proximum, rationibus aliquot etiam commendaturus, ad bonæ conſcientiæ utilitatum prædicationem delabitur, et in ea uſq; in finem capitis commoratur.

CAPVT IIII.

DIlecti, ne cuiuis Spiritui credatis, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint, quoniam multi Pſeudoprophetę exierunt in mundum.

Doctrina

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

DOctrina dilectionis, quàm in præcedenti Capite tradidit, aliquantiſper intermiſſa, ea tractanda reſumit, quæ peculiariter ad fidem in Chriſtum, puram & ſynceram, contra omnes errorum corruptelas retinendam tutandamq́; faciunt. Ac ne ex abrupto, à charitatis præceptis, ad doctrinam fidei tranſilire putetur, anſam uidetur arripuiſſe ex mentione Spiritus, quam in fine tertij capitis fecerat. Per Spiritum enim ſanctum ntrunq;, & fidei, & dilectionis præceptum obſeruatur. Spiritus enim illuminat mentes noſtras claritate fidei, & ardore dilectionis inflammat. Quantum autem ad fidei ſynceritatem ſpectat, magna opus eſt cautione & accurato iudicio, in dijudicandis ac diſcernendis Spiritibus. cuius nos primum hic admonet: repetita propemodum ſuperiore præmonitione, qua nos contra Antichriſtum inſtruxerat. Ne cuiuis, inquit, Spiritui credatis, Spiritus nomine docẽtes intelliguntur: nam paulo poſt, loco Spiritus, ponit Pſeudoprophetas, qui pleriq; omnes iactant afflatus

Spiritus ſanctus, ac huius tituli prætextu, ſuam doctrinam hominibus uenditant, peßimi quiq; impoſtores. Apoſtolus igitur Spiritus nomen omnibus concedendo, omnes quidem ex Spiritu loqui concedit, quicquid tandem de Chriſto docuerint. Cuiuis tamen Spiritui credendum prohibet. Nam eſt Spiritus ueritatis ex Deo, eſt & ſpiritus mendatij ex Diabolo, de quibus 3. Reg. 22. Duo erant Prophetæ, Sedekias & Micheas, contrariorum Spirituum afflatu, diuerſa prophetantes Achab Regi. Vbi Sathan ait. Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Si ita res habet, nonne tutißimum foret, non tantum non cuiuis, ſed nulli omnino credere ſpiritui? Nam qui nulli fidem adhiberet, à nullo decipi poſſet, Sic enim in controuerſijs religionis ne impingant, ſibi pulchrè cauere uidentur, qui neutri parti aſſentiuntur. Sed nec etiam à bono Spiritu in ueritate erudiri poſſunt, quem ſtudio cauendi malos ſpiritus, à ſe etiam ingrati repellunt. Quare Apoſtolus non dicit, nulli omnino credendum, ſed non cuilibet habendam eſſe fidem, ſed ijs duntaxat, qui ſint ex Deo. Ex Deo autem qui

ſint,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſint non oſcitanter cogitandum, ſed accuratioris iudicij cenſura examinandi ſunt atq; probandi: retinendi autem ac ſequendi, qui ex Deo fuerint. Quam regulam D. Paulus in alijs etiam rebus quibuslibet eligendis aut repudiandis ſeruandam præſcribit. Omnia, inquit, probate, quod bonum eſt, tenete. Cur autem ijs opus eſſe cenſet Apoſtolus probatione ſpirituum? Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundū &c. Noſtrorū temporum ſtatus, pleriſq; hoc nomine uidetur infœliciſſimus, quod multæ ac prodigioſæ hæreſes ſubinde emergant: at nihilo fœlitiora fuiſſe Apoſtolorum tempora, Iohannes hic ſatis indicat. Sicut autem extra noxiam erant Apoſtoli, quod multi Pſeudoprophetæ in mundum prorumpebant, ita nec nobis Apoſtolorum doctrinam profitentibus, uariarum hæreſum hodie repullulantium culpa imputanda eſt. Semper enim Sathan Ziſaniam ſuam bono ſemini uerbi Dei admiſcet. Id autem Deus fieri ſinit, bonorum & malorum cauſa. Cur bonorum cauſa? Quia oportet hæreſes in uobis eſſe, quo qui probati ſint, manifeſti fiant inter uos. 1. Corinth. 11. quod Apoſtolus uidetur deſumpſiſſe ex Deut.

 13. ubi

13. *Vbi populus Pſeudoprophetis, etſi miraculis clareant, credere prohibetur. Quia, inquit Moſes, tentat uos dominus Deus ueſter, ut palàm fiat, an diligatis & adhæratis ei in toto corde ueſtro. Cur autem malorum cauſa hæreſes exiſtunt? ut pœnas dent contemptæ ueritatis, 2. Theſ. 2. Propterea, inquit, immittet illis Deus impoſturam efficacem, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, ſed approbauerunt iniuſtitiam. Exemplo Achab 3. Reg. 22. Spiritu enim malo offerente operam ſuam ad decipiendum Achab Regem uerbo Dei reſiſtentem, Dominus Spiritui dixit, Decipies & præualebis, egredere & fac ita: ac deceptus Prophetæ mendacio Achab interijt. Cũ igitur tam multi Pſeudoprophetæ, & tam noxij uagentur in mundo, quis ad illos agnoſcendos, non uidet eſſe neceſſariam admonitionem de probandis Spiritibus? Et ne fruſtra probandos moneret, modum etiam probationis oſtẽdit.*

In hoc cognoſcite Spiritum Dei. Omnis Spiritus qui cõ-
fitetur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

fitetur Iheſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis Spiritus, qui non confitetur Ieſum in carne veniſſe, ex Deo non eſt. Et hic eſt ille Spiritus Antichriſti, de quo audiſtis, quod venturus ſit, & nunc iam in mundo eſt.

SPiritu ſancto impulſos, Sanctos Dei homines locutos fuiſſe, 2. Petri 1. legitur. Generalis igitur probandorum ſpirituum regula, eſt ſacroſancta ſcriptura. Cum enim Spiritus ſanctus ſibi ipſi perpetuo conſtet, nec ſecum ipſe pugnet, quare qui conſentanea Scripturæ ſacræ docent, Spiritus illos ex Deo eſſe, ſine ulla controuerſia ſtatuendum eſt: qui uero aliena & à ſcripturis abhorrentia docenda comminiſcuntur, Spiritus mendaces cenſendi ſunt. Quanquam autem mendaces Spiritus, omnes Chriſtianæ fidei articulos ſint impugnaturi, tamen ad fundamentum Chriſtianæ doctrinæ ſubuertendum

omnes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

omnes ſuos conatus potiſsimum conferent. Ideo Apoſtolus omiſsis reliquis doctrinæ fidei partibus, in fundamento contra errorum Pſeudoprophetarum machinas muniendo præcipuè occupatur, quemadmodum & capite ſecundo fecit. Fundamentum autem eſt Chriſtus, & uera fidei de ipſo notitia. In doctrina autem fidei de Chriſto tradēda, qui ſpiritus ex Deo, qui uero ex Diabolo eſt? Omnis Spiritus, ait, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex Deo eſt, & omnis qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex Deo non eſt. Confeſsio Ieſum Chriſtum in carne ueniſſe, non tantum aduerſatur Marcionis impio errori, quo Ieſum Chriſtum ueram humanam naturam aſſumpſiſſe negauit, ſed omnes Hæreſes, quæ unquam de Chriſti perſona & officio extiterunt, excludit. Nam qui confitetur Ieſum Chriſtum ueniſſe in carne, is tacite fatetur, eum, priuſquam ueniret in carne, ſine carne ab æterno apud Patrem fuiſſe. Venire enim non dicitur, qui antea non fuerit. Qui autem Chriſtum in carne ueniſſe confitetur, an non humanam naturam aſſumpſiſſe fatetur? Hæc igitur eſt uera de Chriſti perſona ſententia, quod

ſit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſit uerus Deus & homo. Ex hac perſonæ conditione, officium nos redimendi, proq; nobis apud Deum intercedendi dependet. Vnus enim Deus, ait D. Paulus, & unus mediator inter Deum & hominẽ, homo Ieſus Chriſtus. Chriſti enim aduentum in carne non fatetur, qui ipſum quidem carnem humanam aſſumpſiſſe aſſerit: cauſam aũt illius aduentus in carne, negat fuiſſe, ut ipſe eſſet ſolus & nnicus redemptor & Aduocatus noſter coram Deo. Confeßio igitur, Chriſtum in carne ueniſſe, continet aſſertionem diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto, & prædicationem ſolius ipſius redemptionis & interceßionis pro nobis apud Patrem: quæ qui ſpiritus non confitetur, quoniam negat Chriſtum in carne ueniſſe, non ex Deo, ſed ex Diabolo eſſe deprehenditur. Talis ſpiritus fuit Arrius, Marcion, Pelagius &c. Tales ſunt, qui ex Chriſto non perfectum redemptorem, ſed nouum Legislatorem faciunt, qui negant Chriſtum pro omnibus peccatis ſatisfeciſſe, qui proprijs ſatisfactionibus peccata expianda docent, qui uel tanquam auxiliatores, uel tanquã interceſſores inuocandos mortuos, publica Eccleſiæ Catholicæ autoritate ſtabiliunt.

biliunt: ſicut ſupra de Papiſtis eſt dictum, & notiora ſunt ipſorum errata, quàm ut hic pluribus de ijs ſit dicendum. Quare Apoſtolus addit. Hic eſt ille Spiritus Antichriſti, ſiquidem apertè & ex diametro cũ Chriſti perſona & officio pugnantia docet. De quo, inquit audiſtis, quod uenturus ſit: quod ſanè uerum eſt, & referendum ad regnum pontificium, in quo omnia Prophetarum & Apoſtolorum uaticinia, de futuro & regnaturo Antichriſto, ſunt completa. is autem priusquam in Eccleſia regnum occuparet, ſuos præcurſores habuit, qui contra Chriſtum & ueram ipſius notitiam, erroribus excogitandis ſpargendisq́, Antichriſtiani regni fundamenta quædam iecerunt. quamobrem iam tum, cum adhuc in mundo eſſent Apoſtoli, Antichriſtus etiam in mundo fuiſſe ſcribitur. Supra autem capite ſecundo, in tertia parte præmonitionis cauendi Antichriſtum, doctrinam Spiritus S. initio per Apoſtolos traditam, retinendam nobis commendauit, ea ſeruata, quam de Antichriſto uictoriam pij reportarint, hîc indicat.

Vos ex Deo eſtis filioli, & ui-

ciſtis

ciſtis eos. Quoniam maior eſt, qui in uobis eſt, quàm qui in mundo. Ipſi è mundo ſunt, ideo è mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo ſumus: qui nouit Deum audit nos, qui non eſt ex Deo, non audit nos. Per hoc cognoſcimus Spiritum ueritatis, & Spiritum erroris.

FIde ex Deo naſcimur, ac Chriſto inſerimur, Qui uero ex Deo ſunt, uincunt Antichriſtum cum omnibus ſuis membris & ſatellitibus: omne enim quod natum eſt ex Deo, ut infra dicetur, uincit mundum, & hæc eſt uictoria ueſtra, quæ uincit mundum, fides ueſtra. Et Hebræ. 11. Fide uicerunt regna, & operati ſunt iuſtitiã &c. Temporibus igitur Apoſtolorum, Pſeudoprophetæ pertinentes ad Antichriſtum, inſidias ſtruxerunt credentibus in Chriſtum, ipſosq; ſuorum errorum laqueis irretire ſtuduerunt. Sed piorũ conſtantiam & fortitudinem Iohannes hîc prædicat, qua omnibus errorũ machinis ſubuerſis Pſeudoprophetas deuicerũt, ne ab eis ſeducerentur.

Fidei

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Fidei enim prudentia pij , fraudes & dolos Pſeudoprophetarum intelligunt et declinant. Vbi uerò , ut plerumq; fit , Pſeudoprophetæ uim cum fraude coniunxerint , potentiam aduerſariorum eiuſdem fidei uirtute ſuperant, qua ſtatuunt , non eſſe timendos , qui corpus poſſunt occidere, poſtea autem nō habent, quod male nobis faciant, Non enim ideo inuicti ſunt Chriſtiani, autore Cypriano Martyre, quia ab hoſtibus ſuis non occidantur , ſed quod non uereantur occidi potius , quàm ut Chriſtianæ fidei & ueræ doctrinæ confeßionem abijciant. Siue igitur Pſeudoprophetæ, quos ob id Chriſtus fures uocat , ex inſidijs deceptionis pios adoriantur. ſiue eos Tyranni, quod Chriſtus ob id Latrones appellat, aperto marte perſecutionis aggrediantur, uirtute fidei pij inuicti perſiſtunt. Sed cum impij à ſuis partibus ſtantem habeant Sathanam , mille artificem, qui dolos fraudesq; Pſeudoprophetis aſpirat, quæ hominis prouiſione non poſſunt caueri, Et cum Sathan ſit princeps mundi , contra pios tantas copias congregat , ut uel ſolo earum aſpectu pij concidere debere uideantur , unde tandem pijs , ad fraudes Sathanæ cauendas,

tanta

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tanta prudentia? ad uiolentiam autem eius ſuſtinendam, tanta potentia? A Deo omnipotente rerum omnium creatore, & à filio eius Ieſu Chriſto, qui in pijs hominibus per fidem habitant. Quoniam, inquit, maior eſt, qui in uobis eſt, quàm qui in mundo. In mundo eſt Sathan, cuius aſtu & potentia contra pios omnia geruntur. In pijs eſt Deus & filius eius Ieſus Chriſtus, quod cognoſcitur è Spiritu, quem nobis dedit, ut auditum eſt capite tertio. At longè maior eſt Deus, quàm Sathan. Quare cum Deus uerbi ſui prudentia, pios regit atq; gubernat, Spiritus ſui potentia inſtruit & confortat, nihil aſtus, nihil potentia Diaboli ad ipſos decipiendos uincendosq; proficiunt, ſed ipſi Sathanam & mundum ſemper in Domino uincunt, qui prior mundum & mundi principem uicit. Iohan. 16. In mundo afflictionem habetis, ſed bono animo ſitis, ego uici mundum.

Cum autem mira ſit plerumq; paucitas eorum, qui ueram & Apoſtolicam doctrinam amplectantur, totus autem propemodum mundus Antichriſtum ſequatur, quæ res multis eſt cauſa repudiandi ueram Chriſti doctri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

nam. Quare Apoſtolus pios hortatur, ne ex ſua paucitate, & aduerſariorum infinita multitudine ſtatuant de ueritate doctrinæ. Cauſam enim exponit, quare pleriſq; omnibus in mũdo, magis arrideant, quæ Antichriſtus tradit, quàm quæ Chriſtus per Apoſtolos docenda præcepit. Ipſi è mundo ſunt, inquit: de Pſeudoprophetis & Antichriſtis loquitur. Quos è mundo eſſe dicit, non tantum, quòd mundi concupiſcentijs, de quibus ſupra, ſint dediti, ſed quod nullam aliam iuſtitiam, niſi mundanam nouerint, quæ eſt iuſtitia operum. Ideo è mundo etiam loquuntur, hoc eſt, tantum mundanam iuſtitiam, & quæ coram humanæ rationis iudicio, eoq; corrupto & peruerſo, ſunt plauſibilia, docent. Quare non mirum uideri, nec pios mouere debet, quod mundus eos audit. Mundus enim, dicit Chriſtus ſaluator noſter, diligit quod ſuum eſt, ſuam iuſtitiam magnifacit, ideo ſuſpicit & admiratur Pſeudoprophetas, ad Aſtra uſq; extollentes iuſtitiam operum, & alia docentes contra ueram Chriſti fidem, quæ cum ratione humana non ita pugnant. Mundi autem uocabulo, non tantum maiorem hominum multitudinem,

ſed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*ſed excellentiſsimos, ſapientiſsimos, pruden-
tiſsimos, & potentiſsimos quoſq; in mundo, è
mundo loquentibus Pſeudoprophetis aures
præbere intelligit. Non eſſe tres perſonas in
una diuinitatis eſſentia rationi humanæ faci-
le perſuadetur: qui igitur Filij & Spiritus
S. diuinitatem impugnarunt, è mundo cum
ſint locuti, in mundo auditores ſuos inuene-
runt. Non ſola fide, ſed operibus dilectionis
coram Deo nos iuſtificari, humanæ rationi
probatur: qui igitur hæc loquuntur & docent
in mundo, ijs facile mundus aſſentitur. Qui in-
uocandos eſſe Sanctos docent, ut tanquam a-
mici Dei nobis impetrent, quæ nos utpote mi-
nus chari Deo, minus etiam impetraremus: id
quoniam conuenit cum exemplo Regum &
Principum in mundo, cum quibus per inter-
nuncios, Regibus & Principibus gratos &
acceptos, nobis agendum eſt, ideo Mundus
eiuſmodi Doctores audit. Idem iudicium
eſt, de Indulgentijs, de Miſſa, de Purga-
torio, de Communione cœnæ Dominicæ ſub
altera ſpecie, & de alijs pleriſq; omnibus
Papiſticæ doctrinæ partibus: in omnibus ijs*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

docendis è mundo loquuntur, ideo maior & melior pars mundi eos audit. Contrà, inquit Apoſtolus, nos ex Deo ſumus, de iuſtitia, de Chriſto, cæteriſq; rebus pertinentibus ad uitam æternam, non aliter ſentimus, quàm Deus ſentiendum uerbo ſuo patefecit. Qui igitur nouit Deum, ſcitq; de Deo & ipſius uoluntate non aliter ſentiendum, quàm ipſe ſe patefecit, is audit nos. Nos enim non ex mundo, ſed ex Deo loquimur, ea enim ſolummodo docemus, quæ Deus docenda nobis in uerbo ſuo reuelauit. Qui non eſt ex Deo, non audit nos. Iohan. 8. Qui ex Deo eſt, uerba Dei audit, propterea uos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Verbum autem Dei eſt Apoſtolorum doctrina. Qui uos audit me audit, qui uos ſpernit me ſpernit, qui me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Idcirco Iohannes ſuam & reliquornm Apoſtolorum doctrinæ contemptum, ſpiritus erroris eſſe certiſſimum indicium, & eiuſdem doctrinæ amorem, Spiritus ueritatis ueriſſimū teſtimonium eſſe aſſerit. Per hoc, inquit, cognoſcimus Spiritum ueritatis, & Spiritum erroris. Secundum regulam igitur & amuſſim ſcripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ, iu-

dicentur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

dicentur omnes doctrinæ & ipſarum autores. Qui enim aliena à ſcripturis docent, cum ſint Spiritus erroris, non ſunt audiendi. Qui ſcripturas uſq; conſentanea docent, pro ueris doctoribus habendi ſunt & audiendi. Quas tamen cur pauciſsimi audiant, plurimi aũt & excellentiſsimi in mundo homines, cur ſpiritibus erroris auſcultent, quoniam iam expoſitum eſt, nemo plurium, quantumuis excellentium hominum conſenſu, ſed Apoſtolorum teſtimonio, doctrinam quamlibet, ipſarumq; doctores probandos ſciat: exemplo Paphnutij, qui fretus certo Dei uerbo, ſolus toti concilio reſtitit, Et Eliæ Prophetæ, qui ſolus Regi Achab, & cum Rege conſentientibus quadringentis quinquaginta Prophetis Baal, & maiori populi parti, ſe oppoſuit. Idem omnes Prophetæ fecerunt, & Apoſtoli. Non enim, ſicut in ciuilibus iudicijs plerunq; fit, ita in dijudicatione dogmatum, numerandæ magis ſunt ſententiæ, quàm ponderandæ. Pondus ſententijs in religionis cauſa dicendis affert, non plurium & magnorum hominum conſenſus, ſed grauiſsima uerbi Dei autoritas: qua ſi unius hominis ſententia de tota Chriſtiana doctrina, & de

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

qualibet eius parte niteretur, omnium Imperatorum, Regum, Principum, Pontificum, Epiſcoporum, ac breuiter omnium hominum diuerſum ſentientium ac ſtatuentium ſuffragijs atq; iudicijs præponderare, atq; anteferri debet. Quare in probatione doctrinæ, non eſt expectandus, nec requirendus multitudinis cõſenſus, ſed quid Deus in uerbo ſuo per Prophetas & Apoſtolos ſuos, in Scripturis ſanctis tradito approbet, unice ſpectandum eſt atq; ſequendũ. Hæc Apoſtolus de cauendis Pſeudoprophetis repetenda, ac ſuperioribus adijcienda eſſe cenſuit, Quæ ſi ſeruauerimus, contra omnes Pſeudoprophetarum improbos conatus, ſynceram Euangelij doctrinam & ueram in Chriſtum fidem, Deo nos adiuuante, facile tuebimur.

Dilecti, diligamus nos inuicẽ, quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas eſt.

Monſtrata

MOnſtrata ratione, quibus ſartam tectamq; fidei ſynceritatem, contra corruptelas Pſeudopropheta rũ retineamus, nunc rurſus, quem fructum fides pulcherrimum producit, ad mutuam dilectionem colendam nos hortatur. Dilecti, diligamus nos inuicem. hanc præſentis exhortationis ſuæ propoſitionem, primum hac ratione confirmat. Quia charitas ex Deo eſt, id quod mox per amplificationem repetit, cum Deum ipſum charitatem eſſe dicit. Quod de Spiritus S. perſona ueteres dictum exiſtimarunt, per ſe quidem non eſt reprehendendum. Eſt enim Spiritus ſanctus mutuus patris & filij amor atq; charitas. Non autem hic de patris & filij mutuo amore, ſed de Deo, ſicut aliarum uirtutum, ut ſapiẽtiæ & iuſtitiæ largitore, ita quoq; autore charitatis in nobis loquitur. Sicut enim omnis ſapientia & iuſticia ex Deo eſt, ita & charitas: nec aliunde nobis contingere poſſunt, niſi ab eo qui non tantum ſapiens eſt & iuſtus, ſed qui ipſa etiam eſt ſapientia & iuſtitia, ita ex ſolo Deo eſt charitas, quia Deus ipſe eſt charitas: fons enim & origo omnis dilectionis. Sicut igitur præſtanti ſapientia ui-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

*rum laudantes, ipſam ſapientiam Hyperboli-
κῶς nonnunquam dicimus, ita uerè Deum ipſum
charitatem eſſe Iohannes dicit, quod totus a-
more noſtri ardeat, & ſui ac proximi quoq; a-
moris ignem in nobis accendat. Si igitur cha-
ritas eſt ex Deo, adeoq; Deus ipſe charitas
eſt, Omnis igitur qui ex Deo natus eſt, &
Deum cognoſcit, diligit. Et qui non diligit,
non nouit eum. Sed credentes in Chriſtum,
nouerunt Deum, & per fidem Chriſti nati
ſunt ex eo. De cognitione enim, & natiuitate
fidei hîc agit. Ergo credentes in Chriſtum ſe
inuicem diligunt, flammas enim dilectionis,
naſcendo per fidem ex Deo, qui eſt charitas,
concipiunt. Nam cum ait, omnis qui diligit,
ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum, non in
eam ſententiam accipiendum eſt, quaſi uel filij
Dei ex dilectione naſcantur, & non ex fide: ſi-
cut contra Iohannem docent, qui charitate fi-
dem efformari ac uiuificari tradunt, uel quaſi
cognitio Dei oriatur ex noſtra dilectione: ne-
mo enim diligit, quem non cognoſcit: quanquam
cognoſci poßit, qui non diligatur. Iohannes i-
gitur cum dicit. Omnis qui diligit, ex Deo
natus eſt, et cognoſcit eum, ſentit, qui uerè De-*

um

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

um cognoſcant per fidem, & uerè ſint ex ipſo nati, fieri non poſſe, quin etiam diligant, eò quod ex Deo nati ſint, ex quo non tantum ſit charitas, ſed qui ſit etiam charitas ipſa. Itaq; qui non diligit, non nouit Deum, fidei uidelicet notitia, qua filij Dei, ex deo naſcimur. Fides enim agnoſcit, quod deus nos charos habeat in Chriſto. Quare hæc fides etiam dilectionẽ in cordibus noſtris excitabit. Hic certè uidemus, quàm arcte cum fide Apoſtolus colligat dilectionem, qua qui carent, fruſtra ac falſo ſibi de fide & dignitate filiorum dei blandiuntur, qui à paterna uirtute tantum degenerant.

In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quod filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc eſt charitas Dei, quod nos non dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit filium ſu=

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

um propitiationem pro peccatis noſtris. Dilecti ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere.

PRæcedente ratione oſtendit ideo diligendos eſſe fratres, quia fides, qua filij Dei naſcimur, non poßit eſſe otioſa & ſterilis notitia. Nunc dilectionis Dei erga nos immenſæ magnitudinis oſtenſione, ad nos mutuo diligendos incitat, ſimulatq; declarat, quare non ſolum charitatem ex Deo, ſed Deum ipſum charitatem eſſ dixerit. Duo autem hîc immenſæ Dei erga nos dilectionis argumenta recenſet. Primum quod filium ſuum, & non alienum: & filium ſuum unigenitum, & non ex pluribus unum, cum non habeat niſi unicum filium: Deus miſit in mundum, ut aſſumeret humanam naturam, & in ea ignominioſißimum Crucis mortem pro peccatis noſtris expiandis ſubiret, ut uiuamus per eum: qui ſolus eſt uia, ueritas & uita, nec nobis per peccatum mortuis, à quoquam uita, niſi à Chriſto reſtitui potuit. Quod igitur Deus tãtopere nos dilexit ut potius, quàm nos æter-

næ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

næ mortis interitu perire ſineret, per unigeni-
ti Filij mortem redimire uoluerit, an non im-
menſam ſuam charitatem erga nos miſeros pec-
catores declarauit? Multa quidem ſunt &
magna alia quoq; Dei erga nos amoris ſigna.
Nam quòd nos ad imaginem & ſimilitudinem
ſuam condidit, quod noſtro uſui res omnes à ſe
conditas ſubiecit, & quotidie nobis multa alia
ingentia gubernationis & defenſionis benefi-
cia præſtat, ea non ſunt obſcura Dei erga nos
amoris indicia: ſed nihil ad Chriſtum, & eius
dilectionis amplitudinem, quam erga nos miſſo
in mundū unigenito Filio, teſtatiſsimam fecit.

Præter hoc eſt & alterū Dei erga nos im-
menſi amoris argumentum, quod licet non tan-
tū noſtro erga ipſum amore, ad nos redaman-
dos non fuerit prouocatus, ſed ad perpetuā ad-
uerſus nos iram & indignationem retinendam,
grauiſsimis iniurijs à nobis ſit laceſsitus: ta-
men miſerit filium ſuum unigenitum propitia-
tionem pro peccatis noſtris, in quibus alioqui
nobis perpetuò manendum ac pereundū fuiſſet.
Id enim, quod gratuito indignos ita dilexe-
rit, ut pro ipſis filium unigenitum in mortem
traderet, Dei in Chriſto erga nos amoris am-
plitudinem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

plitudinem tantam eſſe luculenter oſtendit, ut maior eſſe nullo modo poſsit. Vt non iniuria charitatem non tantum ex Deo, ſed Deum charitatem ipſam eſſe paulò ante affirmarit, cum nos, niſi eſſet ipſa charitas, tantopere diligere non potuerit. Oſtenſam hoc modo magnitudinem amoris dei erga nos, ad noſtram etiam dilectionem in animis noſtris excitandam, in concluſione accommodat. Chariſsimi ſi ſic, inquit, deus nos dilexit, & nos debemus nos mutuo diligere, ſicut ipſe nos dilexit. Chariſsima enim ac pretioſiſsima quæq;, pro fratribus expendere nihil cunctemur, nec expectemus dum hoc ipſi promereantur, ſed ultro & gratis, erga indignos ac malè etiam de nobis meritos, omnia dilectionis opera & officia exerceamus. Sicut & ſupra exemplo Chriſti, nominatim uitam pro fratribus ponendam eſſe dixit.

Deum nemo uidit unquam. Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius eſt perfecta in nobis. Ex

hoc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

hoc cognoſcimus in eo nos manere, & ipſum in nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis.

HAEc eſt tertia ratio, qua nos ad mutuam dilectionem exhortatur, ea ut rectius intelligi poßit, obſeruandũ eſt, hæc uerba, Deum nemo uidit unquam, alio ſenſu hic ab Apoſtolo repeti, quàm in Euangelio Iohan. 1. à Iohanne Baptiſta dicta referuntur. Deum eſſe inuiſibilem, & lucem habitare, nobis inacceſſam, utrobiq; dicitur. Nam 1. Timoth. 6. Deum nõ propter denſitatem tenebrarum, quæ in eo non ſunt ullæ, ſed ſicut Solem meridianũ propter immenſæ lucis claritatem, inuiſibilem eſſe, nec nobis acceſſum ad ipſum patere oſtenditur. Cum igitur nunquam nos ipſum uiſuri aut acceſſuri fuerimus, nec id ullo modo nobis cæcis & claudis facere licuerit, ipſe ex arcanæ ſuæ maieſtatis ſede prodire, & ex inacceſſæ lucis claritate, ad nos tanquam ualidius ad infirmiores accedere, dignatus eſt. De hac igitur Dei inuiſibilis patefactione, & acceſſu ad

nos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

nos, ambo Iohannes, Baptiſta & Euangeliſta loquuntur, ſed non ambo de uero & eodem patefactionis et Dei ad nos acceſſus modo, uerba faciunt. Nam cum Iohannes Baptiſta dicit, nemo Deum uidit unquàm, præter filium, qui eſt in ſinu patris, qui eſt intimus conſiliarius, & particeps omnium arcanorum conſiliorum Dei: indicat, neminem nobis, quæ de Dei eſſentia, & paterna ipſius uoluntate & gratia, erga miſeros peccatores cognoſcenda ſunt, enarrare potuiſſe, præter filium. de hoc modo patefactionis, quo Deus nobis per filium conſpicuus fieri cœpit, uerba Baptiſtæ ſunt accipienda, ſicut & Chriſtus Iohan. 14. ad Philippum dicit. Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum: ideo Chriſtus Coloſſ. 1. dicitur imago Dei inconſpicui. Hoc uero loco Iohannes Euangeliſta, non loquitur de ea patefactione Dei inuiſibilis, qua ignorantibus per fidem Chriſti innoteſcit, ſed qua in homine ad ſuam imaginem condito, et renouato per Chriſtum, ſe nobis etiam conſpicuum reddit: ut cum pro ingenti beneficio in nos collato per Chriſtum, Deo gratitudinis cauſa nulla poßimus præſtare dilectionis officia, quibus ipſe indigeat

digeat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

digeat Pſal. 50. Si eſuriero nō dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius: noſtram nos erga ſe gratitudinem Deus uult declarare, benefaciendo homini condito & renouato ad imaginem Dei, qua ſe Deus etiam oculis noſtris conſpiciendum exhibet. Quemadmodum & de ſe Chriſtus dicturus eſt in extremo die, Matth. 25. Eſuriui & dediſtis mihi edere, ſitiui & dediſtis mihi bibere, &c. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes. Domine, quando te uidimus eſurientem, & pauimus, aut ſitientem, & dedimus tibi potum &c. Et reſpondens Rex, dicet illis. Amen dico uobis, quatenus feciſtis enim de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis &c. Sicut igitur Deus inuiſibilis, patefaciens ſe per filium, ueræ in illum fidei confeßione conſpicitur in nobis, ita patefaciens ſe per hominem ad ſuam imaginem creatum, uera erga fratres dilectione in nobis eſſe cernitur.

Sic igitur Apoſtolus argumentatur, Deum nemo uidit unquam, nemo autem eſt qui non libenter Deum uideret, Iohan. 14. Domine, ait Philippus, oſtende nobis patrem, & ſufficit

ficit nobis : in quibus autem Deus manet, illi Deum haud dubie uident. Manet autem Deus in illis, qui ſe inuicem diligunt. Ergo qui ſe inuicem diligunt, Deum in ſe uident : quanto igitur Deum inuiſibilem, uidendi deſiderio tenemur, tanto ſtudio ad nos mutuo diligendos ferri debemus. Non autem tantum dicit, ſi diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, ſed addit, & charitas eius eſt perfecta in nobis : ſemper enim oritur proximi dilectio, ex charitate Dei, ſicut ſupra dixit, Qui uiderit fratrem ſuum egentem & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Charitatem autem Dei perfectam, ſimpliciter uocat, ueram & non ſimulatam Dei in nobis dilectionem, cuius perfectæ charitatis Dei in nobis indiciũ eſt uera dilectio fraterna, ſicut perfectionis fraternæ dilectionis in nobis ſignum eſt, ſi opere & ueritate nos inuicem diligamus. Niſi forte de ea noſtræ erga Deum dilectionis perfectione, ſecundum Auguſtinum, magis accipi placet, quæ non in ſingulorum Dei dilectionis operum integritate, ſed in omnibus bonorum operum generibus, ſecundum omnia diuinæ legis præcepta, facien-

dis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

dis ſita eſt, de qua Capite ſecundo diximus.
Quod autem in nobis Deus maneat, & eius charitas ſit in nobis perfecta, ſi nos inuicem diligamus, hac ratione probat, quam in fine tertij capitis etiam adduxerat. Ex hoc cognoſcimus, inquit, in eo nos manere, & ipſum in nobis, quod de ſpiritu ſuo dedit nobis, Etenim qui Spiritu Dei ducuntur, hi ſunt Filij Dei. Rom. 8. Inter reliqua autem Spiritus S. dona numeratur etiam fraterna dilectio, eiq; à Paulo inter reliqua dona Spiritus S. digniſſimus locus attribuitur. 1. Corin. 13. Sectemini, inquit, dona potiora, & adhuc his excellentiorem uiam uobis oſtendo. Si linguis hominum loquar & Angelorum, chariratem autem non habeam, factus ſum æs reſonans, & cymbalum tinniens. Et ſi habeam prophetiam & miſteria omnia, omnemq; ſcientiam, et ſi habeam omnem fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum, & ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas, & ſi tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil utilitatis capio. Quare cum dilectio fraterna tantæ ſit excellentiæ inter reliqua Spiritus ſancti dona,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

iam enumerata, quæ certe ſunt eximia, ut ſine dilectione illa omnia ſint inutilia. Qui igitur ſe inuicem diligunt, Spiritum ſanctum ſe accipiſſe ſatis intelligunt, ſine quo ſe mutuo diligere non poſſent, cum dilectio ſit donum Spiritus S. proprium. Ex Spiritu autem cognoſcimus nos in Deo manere, & ipſum in nobis. Ergo ex fraterna dilectione cognoſcimus nos in Deo manere, & Deum in nobis, & per conſequens qui ſe inuicem diligunt, Deum in ſe manentem uident. Quem ſicut uidere omnes exoptant, ita ſedulam fratres diligendi operam nauent.

Et nos uidimus & teſtamur, quod pater miſit filium Seruatorem mundi. Quisquis confeſſus fuerit, quod Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.

R*Vrſus intermiſſa pauliſper commendatione dilectionis, reuertitur ad ea tra-*

denda,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

denda , quæ ſunt Fidei propria. hanc autem tranſitionem hic facit , occaſione reſpondendi tacitæ cuidam obiectioni , quæ ex ultima ratione paulò ante audita, oriri poterat. Nam dilectionem eſſe dixerat, qua in Deo maneamus, & Deus in nobis : quæ quidem Dei in nobis manſio, cum alijs in locis fidei fructus eſſe perhibeatur, ne quis uel Apoſtolum eius oblitum putet, aut aliter quàm conuenit, dilectioni manſionem Dei in nobis attribuat, Apoſtolus ſubindicat , quando dicat , qui ſe inuicem diligunt, in Deo manere , & Deum in ipſis , ſe de ſigno Dei manſionis in nobis loqui, quæ eſt uera dilectio, & confeßio Fidei : & non de cauſa, quæ eſt fides in Chriſtum ſaluatorem noſtrum. Et nos uidimus, ait, & teſtamur &c. Quæ Chriſtus in his terris ſalutis noſtræ cauſa fecit & docuit, eorum omnium oculatos teſtes, ut Apoſtolos ſuos in muudum aliquando emitteret, ijs omnibus etiam intereſſe uoluit. Cum igitur oculis ſuis uiderint, omnia cum Chriſto eueniſſe, ſecundũ omnes circumſtantias, quibus Deus in Prophetis aduentũ filij ſui quẽ promiſerat circũſcripſit. Quare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Iohannes, qui abſentibus reliquis Apoſtolis cnm Petro & Iacobo Chriſtum transfiguratum in monte, & ſanguinem in horto ſudantem uidit, & Petro etiam poſt abnegationem digreſſo, ſolus paßioni Chriſti usq; ad finem interfuit, de ſe in primis & reliquis Apoſtolis recte dicit, Nos uidimus & teſtamur, quod pater miſerit filium, quem antea per Prophetas in ſcripturis ſanctis promiſerat, Roma.1. Sicut autem paulo ante, filium à patre miſſum eſſe ſcripſit, ut uiuamus per eum, ut ſit propitiatio pro peccatis noſtris, ac raro admodum, ſine inſigni aliquo titulo, congruenti cum proprio Chriſti nos redimendi ac ſaluandi officio, ipſius mentionem facit: ita hic Seruatoris mundi appellationem ei tribuit, quæ quid in ſe contineat expoſitum eſt ſupra capite primo, ubi Chriſtum dixit eſſe propitiationem, non tantum pro noſtris, ſed & pro peccatis totius mundi. Ex quibus apparet, & quid potißimum Apoſtoli ſuo teſtimonio nobis perſuadere de Chriſto conentur, & quid nos uera fide de Chriſto tenere debeamus: nempe, quòd pater, ſicut promiſerit, filium ſuum miſerit & exhibuerit nobis, qui filius ſit uerus Deus & homo,

Mediator

Mediator inter Deum & homines, ſiue ut hic ait, Seruator mundi. Iohan. 20. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quod Ieſus eſt Chriſtus, ille filius Dei, & credentes uitam habeatis per nomen eius. Qui igitur hac fide ſeruat ſermonem Chriſti, quod eſt Euangelium de Chriſto, annuntiatum ab Apoſtolis, hunc pater diliget, & cum Chriſto ad eum ueniet & manſionem apud eum faciet, Iohan. 14. ubi de manſione Dei in nobis loquitur, ut eius cauſa eſt fides: diſerte enim dicit. Ego & pater ueniemus ad eum, et manſionẽ apud eum faciemus: eam autem iam factam, uera dilectio, & quæ ore fit confeßio fidei declarant, de dilectione prius dixit, nunc de confeßione ait.

Quiſquis confeſſus fuerit, quòd Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo &c. Corde enim creditur ad iuſtitiam, Ore autem fit confeßio ad ſalutem, Roma. 10. Non autem dicitur confeßio ore fieri ad ſalutẽ promerendam: ſalus enim & uita æterna eſt præmium fidei iuſtitiæ, quæ ſicut eſt gratuita peccatorum remißio propter Chriſtum Ieſum, ita ipſa uita æterna à D. Paulo gratia appella-

tur, quare non ſentit, nos noſtra confeßione ſalutem promereri, ſed ea ratione confeßionem ad ſalutem ore fieri dicit, qua Actorum 14. ſcribitur, quòd per multos afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei. Qui enim iuſtificati fide in Chriſtum, digne habentur uita æterna, in eam tamen Deus ipſos non alio modo, quàm per uarias & multiplices afflictiones introducit: nec tamen tollerantia afflictionũ, ob id eſt meritum uitæ æternæ, ſed modus uſitatus & ordinarius quo Deus ſolet, filios ſuos in uitæ æternæ hæreditatem introducere. Ita fide credimus ad iuſtitiam, qui eſt Chriſtus crucifixus, propter quem ſolum etiam ſaluamur, ore autem confitemur, ad ſalutem, non ut confeßione ſalutem primum promereamur, ſed quòd ad eam per Chriſtum nobis promeritam & iam paratam, per confeßionem tanquam per legitimum & ordinarium modum, nobis ſit, Deo duce, perueniendum.

Quid autem ore confitendum eſt ad ſalutem? idem quod corde ad iuſtitiam credendum. Quiſquis confeſſus fuerit, quod Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet &c. hæc confeßio conſonat, cum confeßione, quam Petrus ſuo, & re=

liquorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

liquorum Apoſtolorum nomine de Chriſto ædidit Matth. 16. Tu es Chriſtus ille Filius Dei uiuentis: qua Chriſtus uerus Deus & homo, & unicus redemptor ac ſaluator mundi eſſe pronunciatur. Sicut autem Chriſtus Petrum uerè confitentem, eo in loco beatum prædicat, ita hoc loco dicit, qui uerè confiteantur Chriſtum, deum in ipſis manere, & ipſos in Deo. Nam apud quos Pater manſionem fecit per fidem, apud eos manere, nec ab illis recedere, per confeßionem cognoſcitur. Cum autem hæc ſit uera beatitudo, ſi Deus in nobis maneat, & nos in illo, quare beatos eſſe iudicemus, qui uerè Chriſtum confitentur, hacq́; ratione ad Chriſtum fortiter & animoſe confitendum, nos ipſos quoq; excitemus. Etenim qui Chriſtum in mundo uerè confitentur, ipſum ſolum eſſe, per quem uiuamus, ipſum ſolum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, ipſum ſolū eſſe ſeruatorem mundi, ipſum ſolum eſſe Aduocatum noſtrum apud Patrem, exquiſitißimis tormentorum ac ſuppliciorum generibus excruciantur necanturq́;, ut cōfeſſoribus Chriſti, nulli latrones in mundo ſint infœliciores, horū enim fortunā, nemo tā alienus eſt ab omni

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

humanitate qui non doleat, hos in tormentis, ſpe futuræ beatitudinis & exemplo latronis ad dextram cum Chriſto crucifixi conſolantur. At de quibus propter confeßionem ueram filij Dei ſupplicium ſumitur, idq; à ſanctißimis in mundo, &, ut ſe ſalutari cupiunt, à uicarijs Chriſti, à columnis Eccleſiæ, nemo tam uult uideri impius, qui non gaudeat, rideat, exultet, inſultet, ac quantum poteſt, hæreticorum hominum ſupplicium, tanquam ſingularem Dei cultum, promoueat: hac conſolatione adiecta, quod ex præſentibus cruciatibus acerbißimis, abripiendi ſint & auferendi à Diabolis, in perpetua inferorum tormenta: hic uero opus eſt Spiritus S. conſolatione, atq; huius dicti Iohannis recordatione, qua nos ad extrema fortiter & ſtrenue perferanda confirmemus ac ſuſtentemus. Quisquis confeſſus fuerit, quod Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſi in Deo, utcunq; mundus diabolũ in nobis manere, contrà clamitet & uociferetur. Hæc autem fiducia nos in Deo manere & ipſum in nobis, per fidem & confeßionem Chriſti, & quæ ex hac fiducia naſcitur magnanimitas piorum, conſiſtit in ſumma Dei erga nos dilectione,

quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

qua nos in Chriſto complectitur, idcirco de charitate Dei erga nos ſtatim dicit.

Et nos cognouimus, & credimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.

DE charitate Dei erga nos, & non de noſtra charitate erga Deum hîc agit Apoſtolus. Sicut autem Chriſti dilectionem, qua animam ſuam pro nobis poſuit, non tantum nobis proponi diximus, ut eam uera dilectione erga fratres imitemur, ſed ut ei uera etiam fide innitamur: ita ſumma dei erga nos charitas qua filium ſuum unigenitum pro nobis peccatoribus in mortem tradidit, non tantum nobis eſt imitanda, ſicut paulo ante Apoſtolus docuit, & ſub finem huius capitis iterum repetet, ſed omnis etiam ſalutis fiducia, in eam eſt collocanda. Et nos, inquit Apoſtolus, cognouimus charitatem Dei. Quo ſignificat pios

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

non opinari neq; dubitare: ſed certò ſcire, atq; cognoſcere; quod à Deo uerè diligantur. Hancuero cognitionem certam, non eſſe ſimilem, alicui ſcientiæ Philoſophicæ, ſed eam fide cõſtare, ut oſtendat addit. Nos cognouimus & credidimus. Ita Iohan. 6. hæc etiam, quanquam ordine mutato, coniungũtur. Nos credimus, dicebat Petrus, & cognouimus, quod tu es filius Dei uiuentis: ne quis fidem, dubiam & incertam de Chriſto notitiam eſſe putaret, ſi tantum dixiſſet, nos credimus, & non addiſſet, & cognouimus. Quo autem argumento Dei erga nos immenſa dilectio certa fidei perſuaſione cognoſcatur, paulo ſuperius indicauit, nempe, quod filium ſuum unigenitum nobis miſerit, ac immenſi huius amoris magnitudine, ſe ipſiſsimam eſſe charitatem, omnibus planiſsimum fecerit. Cur igitur, qui credunt & confitentur Chriſtum, eos in Deo manere ſupra dixerit, & Deum in ipſis, hanc rationem aſsignat. Quia quicunq; in charitate manet, in Deo manet, quia Deus eſt charitas. Quicunq; uero Dei erga ſe charitatem in Chriſto uere cognoſcunt & credunt, in charitate Dei manent. Nam cum de Dei charitate, ſiue de

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Deo charitate hic ſermo fiat, manere in charitate, non ſignificat nos habere ac retinere charitatem erga Deum, ſicut nonnulli hunc locum interpretantur, ſed ſignificat firma & conſtanti fide perſuaſiſſimum eſſe, de Dei erga nos fauore & gratia, propter donatum filium Ieſum Chriſtum. Ergo qui uerè cognoſcunt & credunt erga ſe charitatem Dei, in Deo manent, & Deus in eis. Qui autem uerè confitentur Ieſum eſſe filium Dei, Seruatorem mundi, id corde prius credere & uere cognoſcere neceſſe eſt. Ergo qui uerè confitentur Chriſtum Filium Dei, in Deo manent, & Deus in ipſis. nam ſicut ipſi manent in charitate Dei, ita habent etiam in ſe manentem Deum, qui eſt charitas. Hæc de Dei erga nos certa dilectione, qua omnis piorum fiducia nititur, diligenter ſunt obſeruanda, contra doctrinam dubitationis, qua credentes in Chriſtum, negantur certo poſſe ſtatuere propter Chriſtum, ſe eſſe in gratia apud patrem: de qua doctrina tamen, quàm ſit impia & blaſphema, hic pluribus non eſt diſputandum, cum ſatis Apoſtolus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſtolus indicet, hanc dubitationis doctrinam, adeo cum uera in Chriſtum fide pugnare, ut radicitus ex cordibus hominum eam euellat atq; extinguat: ſi quidem non poteſt dici uera & ſaluifica fides, qua non cognoſcitur & creditur, certa Dei erga nos dilectio in Chriſto Ieſu ſaluatore noſtro. Quemadmodum conſimilis & præclarus etiam locus his uerbis apud D. Paulum extat Epheſ. 3. *Vt inhabitet Chriſtus per fidem id cordibus ueſtris, fixis in Charitate radicibus, & fundamento iacto: ut ualeatis aſſequi, cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo & longitudo, & profunditas & ſublimitas, cognoſcereq; præeminentem cognitioni Dilectionem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Vbi audimus fidem radices ſuas in charitate figere, quod profecto non poteſt intelligi de noſtra charitate, ſed res ipſa nos cogit, id de Dei erga nos dilectione accipere: qui Epheſ. 1. nos dicitur elegiſſe in Chriſto, antequam iacerẽtur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram illo, per charitatem, qua nos in Chriſto dilexit. In hac charitate Dei radices ſuas figit fides, & in fundamento Chriſto Ieſu. Dei autem &

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Chriſti Filij ipſius, tanta eſt, ſecundum omnes partes dimenſionis, amoris & dilectionis erga nos magnitudo, ut ea demum ſit dilectionis huius uera cognitio, qua omni cognitioni præeminere, atq; omnem humanæ mentis cogitationem excedere cognoſcitur: ac propterea eam in dubium nemo uocare debet, in qua tantũ abeſt ut aliquid deſiderari poßit, ut quanta ea ſit, nemo ſatis mente & cogitatione comprehendere queat. Nemo enim tam magno tamq; certo amore ſe à deo in Chriſto diligi apud animũ ſuum fide ſtatuere poteſt, quin multo certius ſit, ipſum à Deo multis modis uehementiore & maiore amore in Chriſto diligi. Itaq; cum Apoſtolus Iohannes dicit, cognouimus & credimus charitatem Dei in nobis, non ſentit à ſe magnitudinem dilectionis plene fuiſſe comprehenſam, ſed ſe cognouiſſe tantam Dei erga nos dilectionem, quæ propter ſuam immenſitatem plane ſit incomprehenſibilis.

In hoc perfecta eſt Charitas nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quòd ſicut

ille

ille eſt, & nos ſumus in mundo hoc.

DEi dilectionis per Chriſtum nobis confirmatæ atq; obſignatæ, uſum ac fructũ præſtantiſsimum monſtrat. Ait enim, In hoc eſt perfecta charitas nobiſcum, hoc eſt, Is eſt uſus ueræ & immenſæ Dei dilectionis erga nos. Perfectam enim, uocat immenſam & abſolutam charitatem, ad quam complendam, & certius erga nos declarandam nihil poſsit amplius addi. Hæc igitur perfecta Dei dilectio, quem uſum habet in nobis? ut fiduciam habeamus in die iudicij. Hic expreſsis uerbis fiduciam coram tribunali Dei in perfecta dilectione conſtituit atq; fundauit. Itaq; non de noſtra dilectione ipſum loqui ſatis patet: cuius perfectionem, quæ in Lege exigitur, cum nunquã in hac uita ſimus conſecuturi, nunquam etiam ex ea illa fiducia exiſtet, qua intrepide coram Deo iudice compareamus: ſed quæ eam fiduciam pariat, Dei ſummam & immenſam erga nos dilectionem eſſe oportet. Quis enim in die iudicij, ſuæ cauſæ, quam cum Deo habet, quod per peccatum eum offenderit, diffi-

dat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

dat, utcunq; peccatum Sathan, mors, & infer=nus contra eũ fremant eumq́; accuſent, ſi fauen=tem habeat iudicem, & clementer condonan=tem omnem offenſam & iniuriam, qua indigne à nobis affectus fuerat. Quin imo Deus iudi=cium omne tradidit filio, noſtro Aduocato & patrono. Nõ igitur cauſa ſe caſuros eſſe me=tuent, qui ſe patronum ſuum, iudicem habituros norunt, qui certe ſuos clientes non condemna=bit. Sed Chriſtus dicet quiſpiam, iudicabit ſe=cundum opera dilectionis, Matth.25. Quare Iohannes rectius intelligetur loqui, de dile=ctione noſtra, quando dilectionis hunc uſum eſſe dicit, ut fiduciam habeamus in die iudicij, ut noſtris operibus coram iudicio Dei fiden=dum eſſe, non ſine cauſa quidam uideantur con=tendere. Id uero rem ipſam non admittere iam diximus, nec Chriſtũ Matth.25. id uoluiſſe, ex eo perſpicitur, quod Chriſto prædicante opera piorum, ipſi interrogabunt: domine quando ui=dimus te eſurientem & ſitientem, & dedimus tibi cibum & potum &c. Ergo horum operum fiduciam nullam pij ſecum in iudicium affe=runt, quorum ipſi ſe prope oblitos eſſe, clare teſtantur. Nec Chriſtus ibi magis opera di=lectionis

lectionis, quàm per opera fidem de Dei ergà nos dilectione propter Chriſtum, commendat, Ea enim ſolum opera Chriſtus laudibus effert. quæ ſibi facta eſſe agnoſcit. Ea autem ſibi facta agnoſcit, quæ ex uera in ipſum fide profecta fuerint, ait enim. Quæ uni de his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis: amore autem Chriſti, in Chriſtum credentibus nemo benefacit, niſi qui ipſe etiam in Chriſtum credat: quare certis fidei ſignis oſtenſis, ipſos ueram in Chriſtum fidem habuiſſe docet, qua ſola in iudicio Dei conſiſtant. Contra hæc, ſi quis ceruicoſius nihilominus contendat, noſtræ dilectionis operibus fidendum in die iudicij, ei opponimus hæc Chriſti uerba, Iohan. 3. Qui credit in filium, non condemnatur, qui uero non credit, iam condemnatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. qui autem credit in filium, non ſuæ dilectionis operum, ſed Dei erga nos perfectæ charitatis fiducia tenetur.

Cur igitur ſecundũ opera in extremo die iudicandos nos Math. 25. dicit, Si illis non eſt in iudicio dei fidendũ? propter diuerſitatem duorum iudiciorum Dei, quæ de nobis Deus celebrabit. Primum enim Deus, priusquam ex

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

hac uita emigremus, de ſingulis particulare & priuatum iudicium exercet. Deinde in extremo uniuerſale & publicum iudicium de omnibus ſimul habebit: in illo priore ſecundum occultam in corde fidem, pronunciabitur, de quo Iohan. 3. Et ob id de ſingulis hoc Dei iudiciũ, eſt occultum & hominibus ignotum. In illo uero poſteriore & extremo iudicio, iudex ſententiam de ſingulis in priore iudicio, ſecundum fidem uel incredulitatem eorum prolatam, non mutabit, ſed quem ante propter fidem uitæ, aut propter infidelitatem morti adiudicarit, manifeſtabit ac publicabit omnibus. ſicut autem opera dilectionis oſtendunt ac manifeſtant fidẽ, ita occultum iudicium, ſecundum occultam cordis fidem habitum, illo futuro iudicio, de quo Matth. 25. quia manifeſtabitur, ideo ſecundũ manifeſta fidei opera habebitur, atq; ita in neutro noſtræ dilectionis operibus, ſed in utroq; ſola perfecta Dei erga nos in Chriſto dilectione fidendum eſt: ſicut Iohannes hîc docet, & dicit. In hoc eſt charitas Dei perfecta nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die iudicij. Ratio autem, quæ his uerbis ſubijcitur. Quod ſicut ille eſt, & nos ſumus in mundo hoc &c. aliquan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

to eſt obſcurior, quod & inter ſe diſcrepantes interpretum ſententia de hoc loco indicant. Si nihil deeſt in hac oratione, non uideo, quomodo Deus ſit in hoc mundo, ſicut nos in mundo ſumus, aut quid hoc uel cũ Dei charitate perfecta, uel cum fiducia in die iudicij, commune habeat, ut rationis loco hic addatur. Eſt igitur, ut mea quidẽ fert opinio, oratio Eccliptica, hoc modo ſupplenda, & accõmodanda ad ea quæ præcedunt. Ideo fiducia pendet ex dilectione Dei, qua nos in Chriſto amat, quòd ſicut ille, nempe Chriſtus, eſt dilectus Dei filius, in quo ipſi bene complacitum eſt, ita & nos, propter illum dilectum, Deo etiam ſumus chariſsimi in hoc mundo: in quo licet propter afflictiones & miſerias, Deo prorſus uideamur inuiſi, tamen ſicut Filius non minus à Patre diligebatur in cruce, quàm in nuptijs in Cana Galilææ, ita nos non minus Deo grati ſumus afflicti, propter Filium, quàm ſi proſpere, & ex ſententia omnia nobis ſuccederent, nec minorem curam noſtri tum Deus gerit, qui ſe nobiſcum in tribulationibus futurum promiſit.

Timor non eſt in charitate, ſed perfecta

perfecta charitas foras mittit timorem , quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet nõ eſt perfectus in charitate.

DIuus Auguſtinus, totum hunc locum de noſtra erga Deum dilectione enarrat, quæ ubi perfecta in nobis fuerit, timorem eijciat, unde & ſeruilis ac filialis timoris facta diſtinctio, non autem inficior, eo noſtram erga Deum etiam dilectionem eſſe perfectiorem quo minus timoris ſeruilis, plus autem timoris filialis in ſe habuerit. Verum cum totus contextus orationis, Apoſtolum de Dei erga nos amore adhuc loqui conuincat, miſſa facimus, quæ hic ab alijs de noſtræ dilectionis perfectione benè quidem, ſed non in loco dicuntur. Hîc enim Apoſtolus fiduciam in die iudicij, ex ſummæ Dei erga nos dilectionis agnitione, ac certa perſuaſione naſci, à timore fiduciæ cõtrario etiam probat. Nã ratio proximè præcedens, ſumpta eſt ueluti à cauſa, & ab indubitato Dei

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

erga nos dilectionis argumento, à dilectione Patris erga Filium, propter quem credentes etiam diligit in hoc mundo. Vnde igitur præterea conſtat, nos ex perfecta Dei erga nos dilectione, fiduciã habere in die iudicij. Quia à Deo, qui nos ſumme diligit, nobis timere non poſſumus. Nam timor, inquit, non eſt in charitate, ſed perfecta charitas, hoc eſt, ſummæ & immenſæ Dei erga nos dilectionis propter Filium certa perſuaſio, eijcit timorem ex cordibus, quo quis à Deo irato & infenſo metuendum ſibi alioqui exiſtimaret, ac propterea in die iudicij ſuæ cauſæ coram Deo merito diffideret. Itaq; quẽ timorẽ, peccata noſtra aduerſus Deum cõmiſſa, & Dei aduerſus nos iuſtiſſima ira, conſcientijs & animis noſtris incutiunt, eum diſcutit, eijcit & expellit, perfecta Dei erga nos dilectio in Chriſto Ieſu. Quòd autem timor ſolicitudo & conſcientiæ anxietas, non poßit cum Dei erga nos ſummæ dilectionis certa fide & agnitione conſiſtere, ex eo perſpicuum fit, Quoniam timor cruciatum habet. Fides de Dei erga nos dilectione, pacem, gaudium & lætitiam, pauidis & afflictis

ctis conſcientijs affert. Timor autem quo à Deo nobis irato metuimus, cruciatum, tormentum, perpetuam anxietatem & acerbiſsimos dolores habet. Quare Dei erga nos dilectio in nobis per fidem, nō relinquit in cordibus timorem, ſed eo eiecto, in certam fiduciam corda noſtra erigit in die iudicij. Et ſuo more per Antitheſin certius aſtruit quod dixerat: perfecta charitas eijcit timorē, Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate &c. hoc eſt: Qui cum de Deo & eius iudicio cogitat, adhuc timet, trepidat, contremiſcit, non eſt perfectus in charitate, nondum uera fide agnoſcit & ſtatuit, ſe perfectè à Deo diligi. Tum enim perfecti ſumus in dilectione dei, cùm perfecta dilectione ab eo in Chriſto nos diligi, uera & certa fide perſuaſiſsimum habemus. Id autem ubi adepti fuerimus, non timebimus, neq; diffidemus, ſed fiduciam in die iudicij habituri ſumus. Cum autem Iohannem hoc loco dicentem audimus, ubi timor ſit, ibidem eſſe cruciatum, ibi autem eſſe timorem, ubi deſit perfecta Dei erga nos in Chriſto dilectionis certa fides: deeſſe autem certam fidem omnes procul dubio intelligunt, ubi de Dei erga nos gratia & fa-

uore pijs dubitandum eſſe docetur atq; præcipitur, cur non hanc dubitationis doctrinam, cum Iohanne merito aliquis appellet, miſerarum conſcientiarum crucem, & deſperationis carnificinam: ſiquidem qui dubius atq; ambiguus de Dei erga ſe dilectione hæret atq; uacillat, non poteſt non timere Deum iratum, Qui quidem timor excruciat, omnem fiduciam excutit, ac tandem miſeros peccatores, ad deſperationem adigit. Ad cauendum igitur deſperationis præcipitium, repudianda quidem ac reſpuenda eſt dubitationis doctrina, ſed interea morum ac uitæ diſſolutionis foueam nobis etiam prouidendam ac declinandam eſſe meminerimus. Solent enim nonnulli cum audiunt Dei erga nos certam dilectionem in Chriſto prædicari, quæ timorem iræ Dei cordibus noſtris eximat, omni timoris Dei diſciplina abiecta omnibus cupiditatibus fræna laxare, & ſicut Apoſtolus alibi loquitur, omnem immundiciam cum auiditate perpetrare. Eſt enim duplex Dei timor, unus quo propter peccata noſtra commiſſa, Deum nobis iratum nouimus & timemus. Alter, quo ad peccata deinceps cauenda impellimur, ille eſt de pec

catis

catis ante commiſsis, conſcientiæ cruciatus & anxietas: hic eſt de peccatis poſthac non committendis, in Chriſtum credentium pia cura & ſollicitudo. ad priorem timorem ex cordibus noſtris tollendum, ad poſteriorem uero ad augendum, tota Euangelij doctrina, de Dei & filij ipſius ſumma erga nos dilectione, eſt deſtinata: itaq; Iohannes priorem quidem timorem excruciantē corda metu iræ Dei, negat eſſe in charitate, ſed non negat ei ineſſe alterū illum, nos extimulantem, ut uitam deo & nomine Chriſtiano dignam in hoc mundo degamus. Quare ſcriptura cum ſœpe alias, tum in Pſal. 2. pie uiuendi rationem rebus propemodum inter ſe contrariis definit. Quid enim inter ſe magis pugnare uidetur, quàm gaudium & timor, exultatio & tremor? Attamen Propheta ſermone ad Reges conuerſo ait. Seruite domino in timore, et exultate ei cū tremore. ac domino quidem ſeruiendū & exultandum dicit, quia propter filium, quem ex oſculandum ac uera fide amplexandum eſſe hortatur, immunes ab ira dei ac planè beatos fore promittit, Beati omnes, inquit, qui confidūt in eo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Ne uero hæc ſecuritas, gaudium & exultatio conſcientiæ, per fidem in Chriſtum exhilaratæ, in effrenem licentiam, ac uitæ diſſolutionem abeat, timoris Domini diſciplina aſtringendam ac cohibendam etiam admonet. cum domino ſeruiendum, ſed in timore: & ei exultandum, ſed cũ tremore addidit. Sic & D. Paulus, quod ad iram Dei attinet, uult pios eſſe per Fidem animo ſecurißimo, Roma. 8. ſed interim cum timore & tremore, ſuam ut operentur ſalutem. Philip. 2. præcipit. Sed de his plus ſatis: quare tranſeamus ad alia, quibus Apoſtolus dilectionem Dei, non ut fundamentum Fidei, ſed ut exemplum, noſtra quoq; dilectione effingendum, nobis deſcribit atq; commendat. Nam hic rurſus facit tranſitionem à Fide, ad doctrinam dilectionis, dicens.

Nos diligimus eum, quoniam ipſe prior dilexit nos. Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem uidit, Deum

um

um quem non uidit, quomodo poteſt diligere? Et hoc preceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

PRocliuis autem fuit deſcenſus à Dei erga nos dilectionis prædicatione, ad exhortationem, ut nos uiciſsim Deum, & propter Deum etiam proximum diligamus. Nos diligimus eum, non ut noſtra dilectione eius erga nos amorem promereamur, ſed quoniam ipſe prior nos dilexit, ac niſi diligendo nos præueniſſet, nunquam uere ipſum dilexiſſemus. Deus igitur quoniam prior nos dilexit, niſi uelimus eſſe ingratiſsimi, ipſum etiam diligere debemus. Ac nihil facilius eſt dictu, quàm Deum à nobis diligi. Nec facile quisquam reperitur, qui æquo animo ſit laturus, ſi quis Deum ab ipſo non diligi dicat. Sed quod omnes libenter audimus, id eſſe & agere etiam curemus: illi enim ſolum Dei ſunt amantes, qui fratres diligunt. ſic enim comparata eſt Dei dilectio, ut nemo Deum à ſe diligi uere affir-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

mare poßit, qui fratrem ſuum oderit. Eius rei duas rationes profert, prior eſt hæc. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem uidit, Deum quem non uidit quomodo poteſt diligere? Deum nemo poteſt diligere, niſi qui ipſum uiderit & cognouerit. Nemo autem Deum uidit unquam, niſi in expreſſa imagine ſubſtantiæ ſuæ, Chriſto Saluatore noſtro. Iohan. 14. Et in homine ad imaginem Dei creato & reformato per Chriſtum Ieſum, ſicuti ſupra dictum eſt. Quemadmodum igitur, qui Chriſtum non diligit, ipſum certe pro Dei ſubſtantiæ expreſſa imagine non agnoſcit: quare neq; Deum cognoſcere cenſendus eſt, qui aliter uideri & cognoſci nequit, quàm in ſua imagine: ita qui non diligit fratrem, quem uidet, is in eo, quoniam non aſpicit ſimilitudinem & imaginem Dei, nec Deum profecto uidet & conſpicit, qui alioqui cum ſit inuiſibilis, ut uideri poſſet, ſui quoddam ſimulachrum in homine effinxit. Quare qui fratrem non diligit, Deum multo minus diligere poteſt, cum nemo poßit diligere quem non uiderit neq; cognorit. Hîc igitur Apoſtolus primum negat Deum incognitum à quoquàm poſſe diligi. Deinde ipſum cognoſci

innuit per imaginem ſuam: per Chriſtũ quidem filium ſuum in primis, deinde uero et per hominem, quem ad ſuam imaginem Deus formauit. Tertio an homo imago Dei eſſe agnoſcatur, dilectione declarari, tanta enim eſt pulchritudo Dei, ut in imagine conſpecta eius forma, non poßit non allicere, atq; in ſui amorem & admirationem, aſpicientium animos conuertere. Quarto raræ admodum & frigidæ dilectionis fraternæ cauſam eſſe, quòd hominem à Deo ad ſuam imaginem, per Chriſtum initio conditum & poſtea renouatum eſſe, uel nunquam uel ualde neglienter cogitemus. Quinto profitentes dilectionem Dei, mendaces eſſe, ſi fraterna dilectio deſit. Quare quem amorem Deo gratitudinis nomine debemus, proximum noſtrum diligendo ipſi perſoluamus, ac quòd Deum uere diligamus, omnibus dilectionis officijs erga fratres conteſtemur: id quod & poſterior hæc Apoſtoli ratio, poſtulat. Et hoc, inquit, præceptum habemus, ab eo ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Deo enim præcipienti aliquid obtemperandum eſſe, pij non ignorant. Deus autem ita ſe à nobis uult diligi, ut ſimul proximum etiam diligendum

eſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

eſſe mandarit. Matth. 22. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde &c. hoc eſt primum & magnum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum, præter Dei & proximi dilectionem nihil præcipitur. Quanquam autem Deus proximo ſit maior, tamen Chriſtus proximi dilectionis præceptum, mandato dilectionis Dei adæquat: primum quia ad utrunq; ex æquo præſtandum, mandato Dei compellimur, ſicut Iohannes hîc ait, Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Deinde quia utrunq; non noſtris uiribus, ſed primum per fidem in Chriſtum, deinde per auxilium Spiritus Chriſti in nobis præſtamus, ſicut cap. 2. dictum fuit. Quare qui Dei præcepto, ad Deum diligendum ſe teneri nouit, is ſimili præcepto & ad fratres diligēdos, ſe ſciat aſtringi, cui non minus etiam, quàm præcepto de diligendo Deo eſt obſequendum.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

CAPVT V.

OMnis qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & natum ex eo.

Dilectionem proximi, cum charitate Dei neceſſario coniunctam eſſe, ac proinde qui Dei amantes uideri uelint, ijs etiã proximi dilectionem præſtandam eſſe, ac niſi eam præſtiterint, nec Dei aliquo amore teneri, duabus rationibus in fine capitis 4. demonſtrauit. Idem nunc initio Capitis 5. tertia ratione ſuperioribus adiecta cõfirmat. Et prioribus quidem duabus, communiter omnes homines diligendos, hac uero ratione tertia, peculiariter eos nobis amore cõplectendos commendat, qui per Fidem Chriſti ex Deo nati fuerint: quibus hoc nomine plus etiam quàm alijs nos debere, D. Paul. Gala. 6. teſtatur. Itaq; dum tempus habemus, inquit, operemur bonum, cùm erga omnes, tùm uero

maximè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

maximè erga domeſticos fidei. Sic igitur habet argumentum Apoſtoli. Quicunq; in Chriſtum credit, ex Deo natus eſt. Omnis autem qui diligit eum qui genuit, diligit & natum ex eo. Ergo qui Deum diligit, diliget & eum, qui fide Chriſti ex Deo natus eſt. Quare, ſi quis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt, in hoc enim probando adhuc inſiſtit. Naſci autem filios Dei, per fidem in Chriſtum, & Iohan. 1. legitur, & ſæpe iam audiuimus. Fides autem, qua regeneramur ex Deo, non cuiuslibet rei notitiam, ſed Filij Dei ueram cognitionem ſignificare, eamq́; ueram de filio Dei fidei cognitionem eſſe hîc docetur, qua credimus & cognoſcimus, Ieſum eſſe Chriſtum. Chriſti enim appellationis titulus, in ſe omnia continet, quæ de perſona pariter & officio redemptoris & ſaluatoris mundi, uera Fide tenenda in ſcripturis traduntur, quorum quædam Apoſtolus ſupra recenſuit: ut cum Aduocatus noſter coram Deo, propitiatio pro peccatis totius mundi, filius Dei, uita æterna eſſe dicitur. Cum igitur hac fide pij ex Deo naſcantur, qui diligit eum qui genuit, diligit & natum ex eo. Nullus enim Pater ſe ab eo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

diligi iudicabit, à quo chariſsimum filium odio haberi ſenſerit. Hanc ſimilitudinem à rebus humanis, Apoſtolus ad diuinam filiorum Dei generationem transfert. Nemo enim cœleſtẽ Patrem diligit, qui natum ex eo oderit. Quod ut quidam de unigenito filio Dei Ieſu Chriſto, & ipſius æterna ex Patre natiuitate dictum intelligerent, eo moti fuerunt, quòd Apoſtolus in ſingulari numero dixerit: diligit & natum ex eo. Verum cum prius in ſingulari, de uniuscuiuſq; in Chriſtum credentis natiuitate ex Deo, locutus fuiſſet, dicens, Omnis qui credit, ex Deo natus eſt, ſingularem numerũ poſtea etiam, de omni credenti loquens, retinuit, cum ait, Diligit & natum ex eo: quem tamen mox in pluralem numerũ ſic mutabit, In hoc cognoſcimus, quod diligamus filios Dei. Quod hic moneo, non quod exiſtimẽ, hoc non uerè et principaliter de unigenito filio Dei dici, Qui diligit eum qui genuit, diligit & natum ex eo: aut quòd hoc ſentientes reprehendam: ſed ut præſentis loci genuinum ſenſum, ad argumentum Apoſtoli rectius intelligendum oſtendam, quo probat falſo dilectionem Dei profiteri, qui per fidem in Chriſtum ex Deo

natos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

natos non diligat. Eodem enim coniunctionis uinculo cohærent Dei dilectio & in Chriſtum credentium amor, quo cognationis gradu pater & filius coniunguntur.

In hoc cognoſcimus, quòd diligamus filios Dei, quum Deum diligimus, & præcepta eius ſeruamus. Hæc eſt enim charitas Dei, ut præcepta eius ſeruemus.

GRauiſsimis rationibus adductis dilectionem fraternam à Dei charitate ſeperari non poſſe docuit, atq; ob id eandem neceſsitatem diligendi fratrem nobis impoſuit, qua ad Deum diligendum adigimur. Ne igitur in gratiam fratris, iure fraternæ dilectionis, quidlibet faciendum, impijs & iniquis petitionibus obſequendum eſſe forte putemus, ſicut in amicitia hæc prima lex ſancitur, ut ne rogemus res turpes, nec faciamus rogati, ita Apoſtolus noſter, fraternæ dilectionis legem ponit, & certum præfigit terminum, intra quem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

quem ſe continere, nec eum tranſilire debeat. Nempe, dilectionem Dei. In hoc, inquit, cognouimus, quod diligamus filios Dei, quum Deum diligimus. Primas enim ſemper apud nos obtinere debet dilectio Dei, ſicut mandatum de Deo diligendo, ordine etiam præcedit, præceptum de diligendo proximo. Quem certè cum propter Deum nobis diligendum eſſe non ignoremus, nimis officioſo obſequio, ſuprà aut contra Deum nequaquam diligendum eſſe proximum, nemo non intelligit. Verum cum multa homines pietatis zelo, ex bona, ut dicitur, intentione, in amorem, cultum ac uenerationem Dei inſtituant, eademq́; alijs quoq; facienda imponant, ne hic etiam modus excedatur, ſicut dilectionem proximi, termino charitatis Dei, ita charitatem Dei, obſeruatione præceptorum Dei, tanquam limite circumſcribit. Nam cum dixiſſet, In hoc cognoſcimus, quod diligamus filios Dei, quum Deum diligimus: addidit deinde, & præcepta eius ſeruamus, ac diſertè dilectionem Dei obſeruatione mandatorum eius definit, dicens. Hæc eſt enim charitas Dei, ut præcepta eius obſeruemus, de quo Cap. 2. multa diximus, quæ hic non neceſſe eſt repetere.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Si quis igitur prætextu fraternæ dilectionis à nobis peteret, ut conſpirationem, cædem, adulterium, furtum, aut aliud quodcunq; peccatum contra alterã Decalogi tabulam, eiusq́; præcepta faceremus, aut facientib. aſſẽtiremur, iure fraternæ dilectionis ad obtẽperandũ nos non teneri, omnes facile iudicarent. non tantũ quia hæc pugnant cum dilectione proximi & illius qui iniuria à nobis afficeretur læderetúrq́;, & illius, cui ſtudio fraternæ dilectionis morem gereremus: ſed quia etiam contra dilectionem Dei peccaremus, eo quod non ſeruaremus eius præcepta, quæ de proximo diligendo in ſecunda Decalogi tabula dedit. Itaq; qui proximo in eiuſmodi peccatis uel perpetrandis, uel adiuuandis gratificarentur, prætextu fraternæ dilectionis hæc delicta excuſare non poſſent. Quia dilectio fraterna cognoſcitur ex dilectione Dei, quam illi, tranſgrediendo Legem Dei, uiolaſſent. Eodem modo iudicandũ eſt de primæ Decalogi tabulæ præceptis, quibus oſtenditur, quomodo Deus agnoſcendus ſit atq; colendus. Nã ſi quis, exempli gratia, graui morbo decumbat, & ad proximum ſuum dicat, Mi frater, rogo te per charitatem fraternam,

ternam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ternam, accedito ad Magum aliquem petitum conſilium & auxilium contra morbũ, quo detineor, aut inuoca mecum aliquem ſanctorum, ut mihi laboranti opem ferat, non certe ei eſſet obtemperandum, nec propterea neglecti dilectionis officij, aliquis iure accuſari poſſet. quia in hoc cognoſcimus, quod diligamus fratres, quum Deum diligimus. In eo autem cognoſcimus, quòd diligamus Deum, ſi præcepta eius ſeruamus. Si uero Magos conſulerem, aut opem & auxilium mortuorum implorarem, tranſgrederer præceptum Dei, non habebis Deos alienos coram me. Sic de tota Religionis controuerſia ſentiendum eſt, ad quam quidem componendam, multa contra uerbum Dei aduerſarijs concedenda, fraterna charitas ſuadere uidetur, ſed ſi id fieret, quoniam non ſolum illi in erroribus magno ſuo malo confirmarentur, ſed nos etiam Dei uerbum tranſgrediendo, ipſum profecto non diligeremus, quare falſo errorum approbationi, fraternam dilectionem prætenderemus, quam tum nos habere cognoſcimus, cum Deum diligimus, & præcepta eius ſeruamus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Et præcepta eius grauia non ſunt. Quia omne quod natum eſt ex Deo, uincit mundum. Et hæc eſt uictoria quæ uicit mundum, fides noſtra. Quis eſt qui uincit mundum, niſi qui credit, quòd Ieſus eſt filius Dei.

QVoniam dilectionem Dei ad quam pios exhortatus eſt, ſitam eſſe dixerat in obſeruatione mandatorum eius, præcepta autem Dei non tantum difficilia, ſed & factu impoßibilia eſſe traduntur in multis ſcripturæ locis. Quare ne contra exhortationem iam factam, uel difficultatis uel impoßibilitatis opinione, à præceptorũ Dei obſeruationis ſtudio abſterreantur, ſed ad illud magis incitentur, præcepta Dei grauia eſſe negat. Nam rem, quam uel nunquam, uel ſummo cum labore & difficultate perfici poſſe iudicamus, non niſi coacti & inuiti aggredimur, ac propterea minus in ea promouemus, quàm ſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

prompto & alacri animo, aliquid agendum ſuſciperemus: quam animi promptitudinem & alacritatē excitat, rei gerendæ facilitas. Sciendum eſt igitur præceptorum legis facultatem & grauitatem conſiderari primùm ſecundum diſcrimen perſonarum, quibus lex ſeruanda imponitur, deinde ſecundum diuerſum legem præſtandi modum. Nam legem pariter credentibus & incredulis ſeruandam Deus præcipit: ſeruandam autem uel integra, uel inchoata obedientia: Quod igitur ad integram atq; numeris omnibus abſolutam obedientiam attinet, non tantum incredulis, ſed & in Chriſtum credentibus, lex Dei obſeruatu planè eſt impoßibilis. Huc igitur ſpectant omnia ſcripturæ, de grauitate præceptorum legis, teſtimonia, ut actorum 15. Quid tentatis Deum ait Petrus, ut imponatur iugum, ſuper ceruices diſcipulorum, quòd neq; patres noſtri, neq; nos portare potuimus, ut Roma. 7. & 8. ubi ſuo exemplo D. Paulus, oſtendit, pios in hac mortali uita, ad integræ legis obedientiæ perfectionem, non poſſe peruenire. Quantum uero ad inchoatam obedientiam, qua aliquis lege Dei iam delectatur, ſicq; eam præſtare cona-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tur, ne quo peccato contra conſcientiam, ipſam uiolet, Lex Dei non tantum poßibilis, ſed & obſeruatu facilis, à D. Iohanne hîc dicitur.

Ratio aũt facilitatis hæc redditur, Quia omne natum ex Deo, uincit mundum. Obſeruationem præceptorum Legis, difficilem reddebat & impediebat, mundus cum ſua concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum & uaſtu uitæ. hæc enim nos à ſtudio ſeruandæ Legis abſtrahunt, & in eo remorantur. Itaq; his arietibus admotis, Sathan ad Legis diuinæ transgreßionem, ſicut primos parentes, ita nos quoq; impellit. Præcepta igitur Dei, quæ hac de cauſa ſunt grauia, non ideo fiunt credentibus in Chriſtum facilia, quòd à Sathana non tententur, nec mundi concupiſcentijs infeſtentur: maius enim certamen ſuſtinent, quàm ulli alij, Caro enim per omnem hanc uitam, concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem: ſed in hoc certamine, pij mundo tandem deuicto ſuperiores euadunt. Tametſi enim dum in hac uita uiuunt, uictoria nonnunquam ad mundum inclinare uideatur, ad extremum tamen pij ſuperant. Quia

ex

ex Deo nati ſunt. Nam cum Deus ſit potentior & fortior, quàm mundus, Fortes autem creantur fortibus, nec imbellem feroces progenerant Aquilæ columbam, Quare nos quoq; robur & fortitudinem, ad deuincendum mundum, ex Deo naſcendo contrahimus. Quod aũt ex Deo nati uincant mundum, ex eo conſtat. Quia per fidem ex Deo nati ſumus. Fides aũt noſtra, eſt uictoria mundi, Ergo, qui ex Deo nati ſunt, uincunt mundum. Fidem noſtram eſſe uictoriam mundi, rurſus ſic probat. Quis enim eſt, qui uincit mundum, niſi qui credit, quod Ieſus eſt Filius Dei? At noſtra Fides eſt, qua credimus, quod Ieſus eſt filius Dei. Erga noſtra Fides eſt uictoria mundi. Eſt autem magna uis & uehementia uerborum Apoſtoli, quæ per figuram interrogationis protulit, qua fidem piorum ab omni alia fide & religione diſcernit, ipſamq; ſolam Mundum ſuperare ait, per eum uidelicet, quem ſolum reſpicit Ieſum, & ipſum agnoſcit eſſe Chriſtum, illum Filium Dei uiuentis: contra quam Fidem, portas inferorum non præualituras, Chriſtus ipſe docuit. Per noſtram autem hanc inuictam fidem ſolam, ideo mun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

dum uinci à nobis Apoſtolus dicit, quia Chriſtus uicit mundum, & hæc ipſius uictoria credentibus à Deo donatur, 1. Corinth. 15. Gratiæ Deo, qui nobis dedit uictoriam, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Non autem tantum aliena, nempe Chriſti uictoria nobis donatur, ſed & per efficatiam uirtutis Chriſti & Spiritus ipſius in nobis, nos re ipſa etiam mundi uictores efficimur. Neq; enim ideo Chriſtus uicit mundum, & mundi principem, ac per fidem ſuæ uictoriæ nos participes fecit, ut deinceps deſides & ignaui ſterteremus, ſed ut uigilaremus & oraremus indeſinenter, ac decenter armati in acie ſtaremus, donec hoſtes ipſi quoq; ſubegerimus. Ex his igitur dilucide apparet, cur præcepta Dei dixerit, non eſſe grauia, ac ſimul obſeruanda encomia Fidei, qua agnoſcimus Ieſum eſſe filium Dei, qua ex Deo regeneramur, qua mundum uincimus, qua præcepta Dei ſeruamus: de quibus copioſe dici poſſet, ſed nolumus eſſe prolixiores.

Hic eſt qui uenit per aquam & ſanguinem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſanguinem, Ieſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam ſpiritus eſt ueritas. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Sermo, & ſpiritus S. & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra. Spiritus & aqua & ſanguis, & hi tres vnum ſunt.

OCcaſione dilectionis & obſeruationis mandatorum Dei, ſummis laudibus extulit fidem in Chriſtum ſaluatorem noſtrum, qua omnibus impedimentis mundi ſuperatis, præcepta Dei facilia reddantur. Hac prædicatione, quoniam meritò omnes ad fidem expetendam, adq; eam ſibi parandam excitari debent, quare relicta dilectionis doctrina, rurſus tranſit ad fidẽ, & qua nam ratione eam no-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

bis comparare poſſumus oſtendit, & ad eam hoc modo comparandam, nos hortatur. Eſt autem hic locus admodum difficilis, partim propter exemplariorum diſſonantiam, partim propter interpretum uarias ſententias, ſicut prolixè Eraſmus annotauit. Nos uſitatam lectionem ſequimur, quam ueram & rebus congruentem iudicamus, & ex magna uarietate ſententiarum, ſimpliciſsimam & utiliſsimam delegimus, qua Apoſtolus oſtendere uoluiſſe putatur, cum fides ſit uera æterni filij Dei notitia, qua nam ratione eam nobis comparare poſsimus. Nempe teſtimonio Dei, quod Deus de Filio ſuo, pariter in Cœlo & in Terra perhibet. Hic eſt, inquit, qui uenit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine &c. non dubium eſt, quin ad illud reſpiciat, quod in hiſtoria paſsionis Chriſti, tanquam ſingulare miraculũ deſcripſit, nobisq́; attente conſiderandum commendauit, cum ſe eius rei ocularem teſtem ac minime uanum, ſed ueracem eſſe affirmat. Ex Chriſti autem latere profluiſſe aquam & ſanguinem, quod alijs etiam mortuis accidere ſolet, pro tanto miraculo nequaquam habendum eſſe, Euangeliſta

ſcriberet,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſcriberet, niſi ſolito uberiores, & ad miraculum uſq; copioſiores, ſimul quidem aqua & ſanguis, ſed manifeſto & illuſtri diſcrimine ex Chriſti latere promanaſſent, ut illud magno Myſterio non carere, quiuis facile iudicare potuerit. Quid uero eo miraculo ſignificatum fuerit, Apoſtolus hic iam explicat. Duo enim Sacramenta, per aquam quidem Baptiſma, per ſanguinem cœnam Domini Synechdochικῶς ſignificari, ueterum pleriq; omnes cenſuerunt. Cum igitur dicit. Hic uenit per aquam & ſanguinem. de eo Chriſti aduentu loquitur, quo uerus filius Dei, & totius mundi ſaluator eſſe, nobis per fidem innoteſcit. Sic autem uenit per aquam & ſanguinem, hoc eſt, per Baptiſmatis & Cœnæ Sacramenta. Quid enim aliud Baptiſma & Cœna Domini nobis teſtantur & concionantur, quàm Chriſtum Filium Dei, mortuum eſſe pro peccatis noſtris, & pro nobis ipſius ſanguinem fuiſſe effuſum? Baptiſamur enim in mortem & ſanguinem Chriſti: in Cœna uero mortis ipſius recordamur, ſicut dixit: hoc facite in meam commemorationem. Horum igitur duorum Sacramentorum teſtimonio, excitatur & confirmatur

fides

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

fides Chriſti in cordibus noſtris : unde & hic præcipuus Sacramentorum uſus eſſe traditur, ut ſint ſigilla diuinæ erga nos propter Chriſtum gratiæ , quibus fides noſtra corroboretur.

Ad hæc duo teſtimonia accedit tertium, nam & Spiritus eſt, qui teſtificatur: ſicut ſupra cap. 4. initio, per Spiritus docentes intelligendos diximus , ita hic Spiritus accipiendus eſt , tam de perſona quàm de miniſterio Spiritus S. docendi & prædicandi Euangelium de Chriſto, quod eſt efficax per Spiritum S. Et Spiritum eſſe teſtem maxime idoneum & fide dignum , patet ex eo , quod ſit ueritas, quæ in teſte maxime requiritur . Præter hos autem tres teſtes, miniſterium Spiritus, Baptiſma, & cœnam domini, nulli ſunt alij , qui in terra nobis teſtificentur , Ieſum eſſe filium Dei & Saluatorem noſtrum , ita ut qui non audiat ſynceram doctrinam Euangelij , nec legitimum uſum ſacramentorum retineat , is certe Chriſtum Ieſum nunquam per fidem agnoſcet, ac ſtatuet eſſe Seruatorem mundi , nec ſalutem ab eo petet . Ac tribus his plures in hac terra non eſſe , qui de Chriſto teſtificen-

tur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tur, probat & declarat, collatione cum teſtibus in cœlo, quorum etiam tantum tres ſint numero, qui Chriſto teſtimonium ferant. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, pater, ſermo, & Spiritus ſanctus. Sicut uidere eſt in Chriſti Baptiſmate & aliâs ſæpe: pater de cœlo teſtatus eſt, hunc eſſe filium ſuum dilectum, in quo ſibi bene ſit complacitum, ipſum eſſe audiendum: Spiritus S. uiſibili ſpecie columbæ ſuper ipſum omnibus aſpicientibus deſcendit: filius autem ingentibus miraculis, & reſurrectione à mortuis ſe eſſe Seruatorem mundi teſtatus eſt. Et hi tres unum ſunt. Hæc unitas ſiue ad diuinitatis eſſentiam, ſiue aduoluntatis & teſtimonij ipſorũ de Chriſto conſenſum referatur, non multum refert. Nam in una & indiſtincta diuinitatis eſſentia, tres ſunt diſtinctæ perſonæ, pater, filius & Spiritus. S. quæ uoluntatis unitate, cum in alijs omnibus, tum in teſtimonio de Saluatore mundi perhibendo, unanimiter conſentiunt. Sicut igitur tres ſunt in cœlo, ita & tres ſunt qui teſtimonium perhibent in terra, Spiritus & aqua & ſanguis. Et hi tres unum ſunt, eo quod ad unum Chriſtum, nobis teſtificandum,

& in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

& in unum ueræ fidei & agnitionis Chriſti finem tendant, ſicut in Græco textu ſeipſum explicat, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Chriſtũ igitur teſtificantur, tres in cœlo, & tres in terra. Idem eſt autem omnium teſtimonium & non minus diuinum teſtimonium eorum, qui in terra teſtificantur, quàm eorum qui in cœlo: ſed hoc inter utrorumq; teſtimonium intereſt, quod in cœlo teſtificantium teſtimonium ſit excellentius, ſplendidius atq; magnificentius, teſtimonium uero in terra teſtificantium, ſit humilius abiectius & contemptius, in conſpectu hominum.

Spiritus autem inter utroſq; teſtes recenſetur, nam magna cum maieſtate teſtatus eſt de Chriſto, cum de cœlo deſcendit ſuper Chriſtum & Apoſtolos in die Pentecoſtes: ſtulta uero prædicatione Euangelij in terra, ſe ſubmiſit ad humilitatẽ aquæ & ſanguinis, hoc eſt, Baptiſmatis & cœnæ dominicæ, quibus unà cum uerbi prædicatione, ſapiẽtibus huius mundi, nihil ſtultius, nihil uilius uideri atq; haberi ſolet. Inter cœleſtes autem teſtes relatus Spiritus S. tertium ſemper locum occupat, ſicut enim ex patre filioq; procedit, ita in enu-

mera-

meratione perſonarum Trinitatis, ſemper poſt patrem & filium Spiritus S. nominatur: licet Trinitatis perſonarum nulla per ſe altera prior ſit uel poſterior, de quo hic non eſt dicendi locus. His uero teſtibus Spiritus S. annumeratus, qui in terra dant teſtimonium de Chriſto Saluatore noſtro. Primum Euangeliſta ideo aquæ & ſanguini, Spiritum ordine poſt poſuiſſe uideri poßit, quod poſtquàm inſtituiſſet Chriſtus, Baptiſmi et cœnæ Dominicæ ſacramenta, ad Euangelium in uniuerſo orbe terrarum prædicandum, uirtute Spiritus ex alto in die Pentecoſtes, induti demum fuerunt. Deinde autem Spiritum aquæ & ſanguini, recto diſpenſationis ordine præpoſuit. Nam Apoſtoli procul dubio nulli cœnam domini exhibuerunt, qui baptiſmate initiatus non prius fuerit: neminem autem neq; adultorum neq; infantium baptiſarunt, his in locis, ubi prius non fuerat prædicatum Euangelium. Quanquam enim infantes Chriſtianorum ab Apoſtolis prius ſint baptiſati, quàm ipſis Euangelium annunciari potuerit, tamen quia nullos infantes baptiſarunt, ubi non adultis prius Euangelium annunciatum fuerit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

eo quod Euangelio nondum prædicato, nullos ibi Chriſtianorũ liberos reperiebant, ad quos, iuxta promiſſionem, Ero Deus tuus, & Deus ſeminis tui, baptiſma pertineret. ideo prædicatio Euangelij, Baptiſma infantum, non quidem in ipſis infantibus, ſed in ſuis maioribus atq; adultis præcedit, ſicut aqua ſanguini, & aquæ Spiritus ob id etiam hic præponitur.

Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quo teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium, habet teſtimonium in ſeipſo.

QVorum teſtimonio de Chriſto, uera eius fides & agnitio paretur, poſtquam indicauit, nunc primum à minore ad maius argumentando, ad teſtimonium eorum recipiendum, nos adhortatur. Si enim in rebus humanis, hominum teſtimonium accipimus, qui falli

falli, decipi, labi & errare poſſunt, quanto magis in rebus diuinis, ad agnitionem ueram filij Dei & ad æternam ſalutem pertinentibus, teſtimonio Dei credendum eſt. id enim tanto maius uerius, & certius eſt, quam teſtimoniũ hominis, quanto Deus ipſe homine maior, minus quàm homo falli ac fallere, decipi ac decipere poteſt. ad Titum 1. Vitam æternã promiſit is, qui mentiri neſcit Deus, ante tempora æterna. Roma. 3. Quid enim, ſi quidam fuerunt increduli, num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam? Abſit, Imò ſit Deus uerax omnis autem homo mendax. At nos de rebus humanis, quas quidem per nos ſcire non poſſumus, eas autem ignorare nobis non expedit, hominum teſtimonio credimus, ut quibus parentibus ſimus prognati, qui nobis ſint cognati, quod in infantia baptiſati ſimus, quod nomen nobis inditum in Baptiſmate. Hæc certe omnia & ſimilia multa neſciremus, niſi de ijs teſtificantibus hominibus haberemus fidem. Quanto igitur magis Deo ferenti teſtimonium de Filio, per quem ſumus habituri uitam æternam, fides adhiberi & conſequenter, Patris, Filij & Spiritus ſancti. Spiritus itẽ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

aquæ & ſanguinis teſtimonium accipi debet, Quoniam hoc eſt teſtimoniũ Dei, de Filio ſuo, quod de ipſo Pater, Filius & Spiritus ſanctus tulerunt in cœlo, & de ipſo adhuc in terra ferũt Spiritus, Aqua & Sanguis, hoc eſt, Euangelium, Baptiſmus & cœna Domini. Illi aũt teſtimonium Dei accipiũt, qui credunt in Chriſtum de quo teſtimonium perhibetur. Quia qui credit in Filiũ, habet teſtimoniũ in ſeipſo, hoc eſt, accipit teſtimonium Dei. Ergo ſi Dei teſtimonium accipiendum eſt, credendum eſt in Filium. Quod aũt credentem in Filium, dicit habere teſtimonium Dei in ſeipſo, oſtendit tum demum in Chriſtum credendo, nos uere accepiſſe teſtimoniũ Dei, cum non tantum externo aurium, ſed & interno cordis ſenſu percipitur. Diligenter igitur audiamus teſtimonium Dei, quia Fides ex auditu eſt, Ac Deum oremus, ut per auditum transferatur in corda noſtra, ut teſtimonium Dei in nobis ipſis inſitum atq; infixum habeamus.

Qui non credit Deo, mendacem fecit eum, quia nõ credidit in teſtimonium, quod teſtificatus

catus eſt Deus de Filio ſuo.

SEcundum argumentum, quo cohortatur nos, ut teſtimonium Dei, credendo in Filium recipiamus. Eſt autem hæc ratio maximi momenti, ex qua perſpicuè apparet, cur in Scriptura paßim Deus, ueram in Chriſtum fidem, tanquam ſummum cultum approbet & acceptet. Contra uerò incredulitatem, tanquam ſummam impietatem & blaſphemiam, abominetur atq; execretur. Quid enim Apoſtolus dicit? Qui non credit Deo, mendacem fecit eum. Maiorem habet Emphaſin, quàm ſi dixiſſet, mendacij arguit eum. Quia is Deum mendacē facit, qui eius teſtimonio, quod Deus teſtificatus eſt de Filio ſuo, non credit. Certè bono alicui uiro, non poteſt maior ignominiæ nota inuri, quàm ſi nulla uerbis ipſius habeatur fides. Ita impia contumelia Deus afficitur, ſi teſtimonio eius de filio Ieſu Chriſto, nō credatur. Sicut è contrario maximus honos Deo defertur, ſi Deo de filio teſtificanti credamus. Maximarū .n. uirtutū, miſericordiæ, ueritatis, omnipotentiæ laudem ei tribuimus. quēadmodū de Abrahamo Ro. 4. ſcribitur, is

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ad promiſsionem Dei non hæſitauit, ſed robuſtus factus eſt Fide, tribuens gloriam Deo, certa perſuaſione concepta, quod is qui promiſerat idem potens eſſet & præſtare. Sic ergo ratiocinatur Apoſtolus, Deum nulla à nobis afficiendum eſſe contumelia, cuilibet recta ratio dictat. Qui autem non credit Deo, ſumma ipſum contumelia afficit. Quod autem contumelia eum afficiat, qui ipſum mendacij arguit, nulla probatione eget. Qui autem non credit Deo teſtificanti de Filio, Deum mendacij arguit. Ergo qui non credit Deo teſtificanti de Filio, ipſum impia contumelia afficit. Sed qui non credit in Filium, Deo de Filio teſtificanti non credit, Ergo, qui non credit in Filium, Deum contumelia afficit, Quia mendacij Deum arguit, qui in Filium non credit. Qui uero credit Filio, is obſignauit, quod Deus uerax eſt. Iohan. 3. Hæc certè ad teſtimonium Dei, de Filio ſuo Ieſu Chriſto, diligentius attentiusq; audiendum, ac firmiore Fide apprebendendum nos permouere deberent. Auditu profectò horrendum eſt, quod Apoſtolus dicit, Qui non credit Deo, mendacem fecit eum. Nam quod eſt Sathanæ proprium, illud affingere Deo,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Deo, quæ poteſt horribilior impietas & Blaſphemia cogitari? à qua quantum abſint, qui dogma dubitationis ſtabiliunt atq; propugnant, facile iudicari poteſt. quid enim aliud faciunt, cum de Dei erga nos gratia in Chriſto promiſſa dubitandum docent, quàm ſi Deo teſtificanti de ſuæ erga nos uoluntatis ſumma beneuolentia, palàm & in faciem ei mendacium exprobrarent? modo uera ſint & certa, neq; de ijs etiam dubitandum, quæ Apoſtolus hic ſcribit.

Et hoc eſt teſtimonium, quod vitam æternam dedit nobis, & hæc vita in Filio eius eſt, qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomine Filij Dei, vt ſciatis, quod vitam habeatis æternam, & vt credatis in nomine filij Dei.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Tertia ratio, ſumpta ab utili. Teſtimonium Dei de filio, promptiſsimo animo amplexandum eſt. Quis enim non libenter amplectetur teſtimonium Dei, quo uitam æternam ſe nobis dediſſe teſtatur, cum æternam uitam nemo non expetere ſoleat? Sed teſtimoniũ Dei de filio nobis donato, eſt teſtimonium ipſum nobis dediſſe uitam æternam. Ergo nobis hoc teſtimonium, uera in Chriſtum Fide erit apprehendendum, quo uitam conſequamur æternam. Nam uita æterna, quam Deus ſe nobis dediſſe teſtatur, eſt in filio eius, Iohan. 1. In ipſo uita erat. Ergo teſtimonium de Filio, eſt teſtimonium de donata nobis uita æterna. Cum autem ea nobis in ſolo Filio ſit repoſita, ac propterea uitam æternam non niſi is ſit habiturus, qui habuerit filium. Is aũt ſolus filium habere cenſendus ſit, qui in Chriſtum credendo recipit teſtimonium Dei, quod in Cœlo & in Terra de Filio perhibet. Quare ut uitam habeamus æternam, per fidem in Chriſtum, teſtimonium Dei de Filio amplectamur. Quemadmodum Apoſtolus ipſe & hanc rationem & ſuperiores concludit, dicens. Hæc ſcripſi uobis, qui creditis in nomine filij Dei,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Dei, ut ſciatis, quod uitam habetis æternam, eo quod tam certum ſit, eam ipſos cōſecuturos, ac ſi iam haberent: & ut deinceps etiam credatis in nomine filij Dei, & in uera fide in illum perſeueretis. Supra autem, Chriſtum ſolum eſſe uitam noſtram, ſæpe dictum eſt, ut hic idem neceſſe non ſit pluribus repetere.

Et hæc eſt fiducia, quam habemus erga eum. Quod ſi quid petierimus ſecundum uoluntatem eius, audit nos. Et ſi ſcimus quod audit nos, quicquid petierimus, ſcimus q̊d habemus petitiones noſtras, quas poſtulauimus ab eo.

QVemadmodum capite 3. ex uerbo dei fidem, & ex fide orationem naſci audiuimus, ita poſtquam rationibus aliquot nos cohortatus eſt, ut teſtimonium Dei per fidem in Chriſtum amplecteremur, hunc eximium fidei fructum hic denuo repetit. Et hæc, inquit, eſt fidutia, quam habemus erga Deum, ſi in

nomen filij eius credimus, quod in precibus noſtris à Deo exaudimur, ſed ſimul hic admonet quænam petitiones noſtræ à Deo exaudiantur. Si quid, inquit, petierimus ſecundum uoluntatem eius. Secuudum uoluntatem autem petunt, qui uerbo Dei conſentanea rogant, quod ſummatim dici poteſt, quicquid cum Dei nominis gloria, & noſtra ac fratrum noſtrorum ſalute non pugnat. id enim inter homines etiam uſu uenire uidemus, ut uiri principes, & alij, prolixe nonnunquam polliceantur multa, qua benignitate fretus, ſi quis eos adeat, ac petat, quæ uel ipſis petentibus uel à quib. aliquid rogatur, indigna & inutilia ſint, iure nihil impetrat, ac repulſus immerito fidem à promiſſore requirit, qui in poſtulando officij ſui oblitus fuerat, ita ſi repulſam nonnunquam in precibus noſtris ferimus, non inclementiam Dei, ſed noſtram incogitantiam accuſemus, qua noſtras preces ad nutum diuinæ uoluntatis non formauimus. alioqui enim facile Deus eas exaudiſſet. nullo enim negotio ab eo impetratur, quod ipſum uelle cognoſcimus. Qua autem moderatione & bona æterna, & beneficia temporalia ſecundum uoluntatem Dei ſint petenda,

ſupra

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

ſupra auditum eſt. Ad quem quidem modum ſi preces noſtras inſtituerimus, quoniam ſcimus quod audit nos, ſcimus etiam quod iam habemus petitiones, quas poſtulauimus ab eo, ſtatim enim & nulla interpoſita mora Deus nos precantes, imò uero priusquam de precibus cogitemus exaudit, Eſa. 65. Et erit, ut antequam clament, ego reſpondeam, et adhuc illis loquentibus, ego exaudiam. ubi non hyperbolica amplificatione, de exauditione precum noſtrarũ certiores nos reddere uoluit, ſed reuera nos à Deo, ſicut dixit, priusquam inuocemus exaudiri, modus orandi ſecundum uoluntatem Dei, ſatis oſtendit. Quid enim aliud eſt exaudire, quam precibus noſtris, ut fiant, annuere? Quæ igitur ſecundum uoluntatem Dei petimus, ea certe prius quàm nos peteremus, Deus fieri uoluit: ac niſi Deus ea prius uoluiſſet fieri, nos ſecundum ipſius uoluntatem non diceremur petere. Ergo priusquam peteremus nos exaudiuit.

Hæc præclare quidem ait quiſpiam, dicuntur, ſed longè aliud ſæpe experimur ipſi, & contrarium multa piorum Exempla probant, præſertim autem in Pſalmis triſtiſſimæ quæ-

relæ extant, de dilatione & mora exaudiendi piorum preces. At ille querelæ non de mora exauditionis ſunt accipiendæ: nam tantum abeſt, ut mora aliqua intercedente, piorum preces exaudiantur, ut exauditio preces eorum longo temporis interuallo præcurrat: ſed de mora patefactionis, qua Deus exauditionem precum, manifeſto ſigno uel auxilio reuelat. Nam inter exauditionem & eius reuelationem, ſæpe non mediocre temporis ſpatium interuenit. ita Danielis 9. Angelus ipſius preces ſtatim exauditos fuiſſe dicit, ſed uiginti unius dierum ſpatio impeditum ſe fuiſſe, quo minus hoc ei renũciare potuerit. Sic Chriſtus matrem ſuam Iohan. 2. exaudit quidem, fecit enim quod petijt, ſed tum primum, cum ſua ueniebat hora. Quæ eſt igitur hora ad reuelãdam exauditionẽ commoda atq; oportuna? ea, qua ex noſtra liberatione Deus ſummam laudẽ et gloriam conſequitur. Nam cum ideo nos liberet ut poſtea celebretur à nobis, iuxta illud. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, et tu glorificabis me. quia uero tum demũ omnis liberationis gloria Deo remanet, cum omnium creaturarum auxiliũ eſt deſperatum: quare ad

hanc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

hanc extremam usq; neceßitatem, Deus ſuum auxilium ac liberationem differt, qua preces noſtras exauditas fuiſſe declaret. Quare certiſſimus, ſicut Apoſtolus hic ait, nos habere petitiones noſtras, hoc eſt, eas exauditas iam eſſe: ac patienter deinde expectemus, dum eas Deus & ſumma cum nominis ſui gloria, & noſtro maximo commodo patefaciat.

Si quis uiderit fratrẽ ſuum peccare, peccatum nõ ad mortem, petet & dabit ei uitam, peccantibus nõ ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roges. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum non ad mortem.

PReces non tantũ pro nobis, ſed et pro fratribus fundendas eſſe, paßim Scriptura hortatur, & eas Deus etiã promittit ſe exauditurũ eſſe. Ac in omnibus quidem afflictionib. fratrum, precibus debemus intercedere pro illis apud Patrem cœleſtem in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Verũ cum in nullum grauius

nius at periculoſius malum incidere poßimus, quàm in peccatum, ideo imprimis pro remißione peccatorum, nobis & alijs inpetranda, orandum eſt. Neq; expectandum, dum id facere rogemur, ſed ſi uiderimus, inquit, fratrem peccare, ſtatim & ultrò petemus, & dabitur ei uita. Sed allato quodam peccatorum diſcrimine, pro quibus nam peccatis orandum ſit, aut non orandum, indicat. Nam aliud peccatum eſt ad mortem, aliud non ad mortem. Sic enim Apoſtolus ipſe differentias peccati hic appellat. nam peccato ad mortem, nullum è diuerſo opponi poteſt, quod dicatur peccatū ad uitam. Et pro peccato non ad mortem, dicit eſſe orandum, non autem pro peccato ad mortem. Sed ſi quis eſt, qui peccet peccatum ad mortem, cur pro eo orandum dicit, ut detur ei uita, quam committendo peccatum non ad mortem, nemo uidetur eſſe amiſſurus? Vt igitur mentem Apoſtoli aſſequamur, ſciendum eſt ſua natura & per ſe omnia peccata eſſe mortalia & mortifera. Nam de omnibus peccatis ſine ulla exceptione dicitur. Stipendium peccati mors eſt. Quare cuicunq; à deo peccati alicuius remißio impetratur, ſimul uita impetratur ei. Cur igitur

tur peccatum aliud uocat, peccatum non ad mortem, aliud peccatum ad mortem? Quia etſi peccatum omne ſua natura ſit mortale ac mortem mereatur, tamen quoniam aliud poteſt fieri ueniale, alij aũt quia ſpes ueniæ nulla eſt relicta, ideo illud peccatum non ad mortem, hoc autem peccatum ad mortem, Iohanni appellare libuit. Peccatum igitur mortale, peccatum non ad mortem dicitur, quia ex mortali poteſt fieri ueniale, & peccatum mortale, peccatum ad mortem dici, ſentiendum eſt, quia mortale ſemper maneat, nec ueniale fieri poſſit. Quod idem peccatum irremiſsibile, & peccatum in Spiritum ſanctum nuncupatur.

Quod autem eſt tam atrox peccatum, quod nunquam mortalis peccati appellationem exuat? D. Auguſtinus ait eſſe finalem impœnitentiam, de qua non niſi à poſteriore, & poſt finem uitæ iudicare poſsimus. dicitur quidem aliquid, ſed non ſatis, ſi finalem impœnitentiã uocemus peccatum ad mortem. Quanquam enim peccatum ad mortem ſit finalis impœnitentia, non tamen omnis finalis inpœnitentia peccatũ eſt ad mortem. Multi enim ſine pœnitentia migrant ex hac uita, ut gentes ignaræ Euan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

gelij, ut inter Chriſtianos homines Epicurei, nec ob id dicuntur peccare, peccatum ad mortem. Nec tantum à poſteriore & poſt finem uitæ, iudicandum eſt de peccato ad mortem: ſed in hac uita etiam agnoſcendum eſſe, ac diſcernendum, à peccato non ad mortem Iohannes monet. Nam ſi poſt mortem primum cognoſceretur, nihil opus erat admonere Iohannem, pro eo non eſſe orandum. Quodnam igitur peccatum Iohannes dicit eſſe peccatum ad mortem? Iohannes tantũ oſtendit, quod ſit peccatum non ad mortẽ, de altero uero tametſi nihil expreſſe dicat, tamen ex deſcriptione peccati non ad mortem, facile colligetur, quid ſit peccatum ad mortem. Omnis, inquit, iniquitas peccatum eſt ἀδικίαν uocat, quam ſupra uocauerat ἀνομίαν. Quicquid igitur contra Legem Dei committitur, illud ſine dubio eſt peccatum, & dignũ æterna morte. Sed iniquitas ſiue tranſgreßio Legis, eſt ne peccatum ad mortem, an peccatum non ad mortem? Apoſtolus reſpondet, Et eſt peccatum non ad mortem. Quia nullum committitur peccatum contra Legem, quod ueniam non mereatur propter Chriſtum, qui ſua Legis obedientia, omnia peccata expiauit,

piauit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

piauit, quæcunq; contra legem fiũt, quare peccatum contra legem commiſſum, tantũ eſt peccatum nõ ad mortem, quia omnis transgreſsio legis credentibus in Chriſtum fit peccatum ueniale. Et pro hoc peccato Iohan. dicit eſſe orandũ. inter peccata igitur contra legem commiſſa, peccatum ad mortẽ non eſt quærendum.

An igitur eſt aliud peccatum, quod non ſit contra legem Dei? Maxime, Quod nam ergo illud? Quod contra Chriſti domini Saluatoris noſtri Euangelium deſignatur. Nã ſicut Euangelium non eſt lex, ita, quod propria cum Euangelio pugnat, inter peccata cum lege pugnantia non eſt referendum, quin tamen peccatum etiam ſit, non eſt dubium. Peccatum igitur ad mortem, primum conſtituamus eſſe, quod aduerſetur Euãgelio Chriſti. Euangelio autem Chriſti, primum aduerſatur peccatum, propter quod Spiritus S. arguet mundum, nempe propter incredulitatem. Sed peccatum ad mortem, non eſt ſimplex incredulitas, ſed ueritatis Euangelicæ impugnatio. Cum autem D. Paulus & alij Euangelium impugnarint ac crudeliſsime Chriſtum in ipſius membris perſecuti ſint, pro qui-

bus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

bus Stephanus orauit, ac ueniam ipſis impetrauit. quare impugnaſſe Euangelium, & Chriſtum blaſphemaſſe, non ſtatim aliquem peccato ad mortem obnoxiū reddit. Quia igitur Paulus ſe ueniam conſecutum dicit, quod Chriſtum & ipſius doctrinam ignorans ſit perſecutus per incredulitatem, non obſcure ſignificat, ſibi ueniæ locum reliquum nullum fuiſſe futurum, ſi contra Chriſtum, à ſe prius pro Meßia agnitum, perſecutionem mouiſſet, atq; Euangelicæ doctrinæ ueritatem impugnaſſet. Peccatum igitur ad mortem, erit Euangelicæ ueritatis agnitæ abnegatio ſiue impugnatio. Sed cum nonnunquam metu periculi, aut alia aliqua infirmitate obſtāte quiſpiā non confitetur aut abnegat etiā Chriſtum agnitū, quanquam ſit peccatum longè grauißimum, nondum tamen eſſe peccatum ad mortem, quod uenia prorſus careat, lapſus Petri declarat, qui ueniam conſecutus eſt. Sit igitur hæc integra definitio, Peccatum ad mortē, eſt agnitæ ueritatis Euangelicæ, uoluntaria & pertinax impugnatio. ſic fuit peccatum Iudæ, qui nemine ipſum cogente, Chriſto etiam ipſum ſæpius dehortante, Chriſtum pro Saluatore agnitum

prodi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

prodidit. Sic fuit peccatum Phariſeorum, Chriſti miracula dæmonio aſcribentiū Mat. 12. & Actor. 7. qui quanquam Spiritui Sancto per os Stephani loquenti non poſſent reſiſtere, nihilominus tamen malicioſe repugnabant. Pro hoc igitur peccàto non eſſe orandū, Apoſtolus noſter dicit, ſicut pro peccato Iudæ & Phariſæorum neq; Chriſtus, neq; Stephanus orarunt, nullam enim ipſis ueniam impetraturi fuerant. Nam cui uenia peccati impetranda eſt, illi etiam agnitio Chriſti ad peccati condonationem neceſſaria, à Deo impetrari debet. Nam cum oro pro alicuius peccato non ad mortem, ibi peto ut Chriſtus ipſum in cognitionem ſui peccati, & Chriſti Mediatoris adducat, propter quem ſolū Deus peccata remittit. Neq; enim petere poſſum, ut alicui ſine fide in Chriſtum condonentur peccata. Cum igitur peccantes ad mortem conſtet habere cognitionem filij Dei, ac Chriſti beneficio non tantum non uti, ſed peruicaciter etiam à ſe repellere: an propter aliam aliquam, quam Chriſti pro peccatis ſatisfactionem, impugnationem ſatisfactionis Chriſti, ipſis condonari petemus, cum præter ſolius Chriſti

nulla ſit alia pro peccatis propitiatio? Cui igitur Deus uult condonare peccata, ipſumq́; ſaluum facere, illi agnoſcendum Saluatorem Chriſtum, per Spiritum ſanctum exhibet, ſi igitur Spiritus ſanctus in Chriſti ueritate docenda ſuo perfunctus fuerit officio, & Chriſtum agnitũ aliquis poſtea contumaciter reiciat, non uideo quod amplius ad illius hominis ſalutem promouendam, uel nos petere uel Deus facere poßit, cum non alia uictima pro peccatis reſtet. Non igitur pereunt, quod Chriſtus pro omnibus totius mundi peccatis non abunde ſatisfecerit, ſed quod unici Saluatoris Chriſti ſatisfactionem non tantum ſibi per fidem non applicant, ſed & ſcientes uolentesq́; repudiant atq; blaſphemant. Hæc non eo dicuntur, ut cuiquam ſpes ueniæ præcidatur, ſed ut omnes ab impugnanda manifeſta Euangelicæ doctrinæ ueritate abſterreantur & deſiſtant: nam ſi deſinant peccare ad mortem & Chriſtum agnitum blaſphemare, incipiant autem ipſum uera fide amplecti & colere (quanquam horum conuerſionis rarißima ſint exempla) propter Chriſtum certe ueniam & uitam conſequentur, atq; ita ſiue reſipiſcant, ſiue excæcati &

indura-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

indurati maneāt, ſemper ſola atq; unica Chriſti pro totius mundi peccatis ſatisfactio ubiq; prædicatur celebraturq́;. Ex quib. liquet, quod nam peccatum non ad mortem, quod uero peccatum ad mortem Apoſtolus uocet & quare pro peccato non ad mortem, non autem pro peccato ad mortem, nos orare iuſſerit.

Scimus, quod omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed genitus ex Deo ſeruat ſeipſum, & malignus non tanget eum. Scimus quod ex Deo ſumus, & mundus totus in maligno poſitus eſt. Scimus autem quod filius Dei uenit & dedit nobis mentē, ut cognoſcamus illum, qui uerus eſt, & ſumus in uero, in filio eius Iheſu Chriſto. Hic eſt uerus Deus & uita æterna.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

HIc iam oſtendit, in quos peccatũ ad mortem cadat, uel non cadat, & quomodo caueri poßit. Qui uere ex Deo ſunt regenerati, non peccant ad mortem. Quia qui genitus eſt ex Deo, ſeruat ſeipſum ac ſeſe in illa gratia regenerationis continet, nec ad ſe aditum patefacit illi maligno, qui ſicut aliorum, ita quoq; peccati ad mortem autor eſt: agnitæ enim ueritatis, malitioſa & pertinax impugnatio, non eſt humanum, ſed plane diabolicũ peccatum. Inter eos igitur qui Chriſtum agnoſcunt, in alijs eſt uera & uiua filij Dei cognitio & fides, in alijs eſt ſimulata fides, quæ eſt notitia filij Dei, licet non tam uiuida, ut ſaluet, tam illuſtris tamen ut inexcuſabiles eos reddat, ſi ſalutem in Chriſto non quærant, ſed ipſum contemnant & perſequantur. huiuſcemodi fidem & notitiam Chriſti habuit Iudas. quare nunquam uera fide regeneratus fuit ex Deo, quanquam externe ſe pro regenerato gereret, itaq; ſe non ſeruauit, ne non tangeretur, & in peccatum ad mortem præcipitaretur à diabolo. Nam cum fur eſſet, & auarus, ſathanæ acceſſus ad ipſum patuit. Sathan igitur occaſione horum uitiorum, Iudam in odium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Chriſti incitauit, ſicq́; in peccatum ad mortem coniecit, quod nequaquam Iohannes dicit accidere ijs, qui uera fide ex Deo ſint regenerati, quia non patefaciant feneſtram ad ſe accedendi diabolo. Sed qui ſunt illi, aut ubi ſunt, qui uere ex Deo nati, careant peccato ad mortem?

Scimus quod ex Deo ſumus &c. de ſe & reliquis Apoſtolis, & omnibus uerè in Chriſtum credentibus loquitur. De quibus affirmat, quòd certò ſciant ſe ex Deo natos eſſe. Mundum autem totum omnes deſignat, qui ex Deo per Chriſtum non ſunt regenerati. Hunc mundum immundũ, dicit totum poſitum eſſe in maligno, & conſtitutum in poteſtate Diaboli, qui pro ſua libidine ipſos uerſat & impellit in omnia peccata, 2. Corinth. 4. Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium. Quo autem artem argumento cognoſcimus, uerè nos eſſe ex Deo, & non peccare ad mortem?

Scimus autem, quod Filius Dei uenit &c. Quia ſcimus nos habere cognitionem ueri Dei, & quem miſit in mundum, Ieſu Chriſti. Veram autem hanc Dei, & Chriſti filij ipſius cognitionem in nobis, ideo eſſe dicit, quia eam à Chriſto acceperimus. Nam in mundo Dei &

Chriſti cognitionem, multi etiam ſibi uendicant, & alios docere conantur, cuius ipſi ſunt ignari, cùm à Chriſto per Euangelium non accipiant: ea enim tantum eſt uera & ſalutaris, & qua ad uitam æternam regeneramur, Dei & Chriſti cognitio, quam à ſolo Chriſto accipimus per ipſius uerbum. Nemo enim nouit Filium niſi Pater, neq; Patrem nouit quiſquam niſi Filius, & cui Filius uoluerit reuelare, reuelat autem per Euangelium, Mathei 11. Et Iohan. 1. Deum nemo uidit unquã: unigenitus Filius eius enarrauit nobis. Sic & hoc loco dicit ueniſſe filium Dei, & nobis dediſſe mentem, quam antea non habebamus, ut cognoſcamus illum, qui uerus eſt Deus, conditor Cœli & Terræ. Cuius uera notitia, in quibus conſiſtat, aliâs dictum eſt. Et hac Dei & filij ipſius Ieſu Chriſti uera cognitione, in ipſis etiam ſumus, uiuimus & fructus ferimus. Ac quæ ſit ſalutaris Ieſu cognitio breuiſſimè exprimit. Hic eſt, inquit, uerus Deus, & uita æterna. Verus Deus eſt: & in unitatem perſonæ, humanam naturam aſſumpſit, ut ſimul ſit uerus Deus & homo, & ob eam cauſam uerus & unicus Mediator inter Deum & homines,

mines, ut ex morte liberati, uiueremus per ipſum, qui eſt uita æterna.

Filioli, cauete vobis á ſymulachris.

HAc ſententia finem huic ſuo ſcripto Apoſtolus imponit, qua oſtendit, quomodo non tantum ueri Dei & filij ipſius Ieſu Chriſti cognitionem, de qua ſummatim iam primum dixerat, ſed totam doctrinam Fidei & dilectionis hactenus traditam, ſynceram atq; illibatam tueamur ac retineamus. Nam ſimulachra non tantum intelligit imagines lapideas & ligneas, aureas & argenteas, quæ ab Ethnicis, & Ethnicorum ſimilibus ad cultum proſtituuntur: ſed multo magis humanorum cordiū figmenta, quibus Deus & filius eius Ieſus Chriſtus, totum Euangelium, & omnia Chriſti inſtituta deformantur. Vt cum contra doctrinam uerbi Dei, humanarum traditionum ſtatuæ eriguntur: cū contra ſanguinis Chriſti gloriam, noſtrorum meritorum Idola coluntur: cum Pater per Filium nobis placatus ac reconciliatus, phalaridis ſimulachro in dubi-

tationis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

tationis dogmate effingitur, hæc & alia innumera, & plane prodigioſa cõtra diuini uerbi ueritatem figmenta & idola nobis eſſe cauenda, Iohannes hic monet ac præcipit, hacq́; fideliſsima admonitione & præceptione ſaluberrima, quo altiore mente reponatur, ijs quibus tanquam filijs ſcribit, ualedicit. Si enim cauerimus ſimulachra illa, ſynceram autem & puram retinuerimus traditam à Iohanne doctrinam de fide & dilectione, quoniam in luce erimus & uerſabimur, ſicut Deus eſt in luce, & Chriſtus in luce ambulauit: ſocietatem habebimus, cum S. Apoſtolis & omnibus pijs, & ſocietas noſtra erit, cum patre & filio eius, Ieſu Chriſto. In qua ſocietate & amicitia, quoniam ſumma fœlicitas & æterna beatitudo ſita eſt, quod Iohannis hæc nobis ſcribens, conſilium fuit, pleno, perfecto & æterno gaudio perfruemur, Amen.

Vni uero & æterno Deo, Patri & Filio eius Ieſu Chriſto, Domino & Saluatori noſtro, & Spiritui ſancto, ſit laus, honor, & gloria in omne æuum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 807 8° copy 3